SPICILEGIUM CURATIONUM MORBORUM CUM SINGULARUM...

Omobono Pisoni

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SPICILEGIUM CURATIONUM MORBORUM

Cum ſingularum animadverſionibus

AUCTORE

HOMOBONO PISONE

CREMONENSI

In Academia Patavina Profeſſore Medicinæ Practicæ:

ACCESSIT DISSERTATIO

DE INCONSTANTIA MEDICINÆ;

PATAVII, MDCCXLII.

Typis Johannis Baptiſtæ Conzatti.

SUPERIORUM PERMISSU

Digitized by Google

Digitized by Google

MARCO FOSCARENO
EQUITI, ET ÆDIS D. MARCI PROCURATORI

HOMOBONUS PISO

PUblici judicii aleam rurſus ſubiturus non aliis ſub auſpiciis ſubire vehementius exoptavi quam ſub Tuis, AMPLISSIME SENATOR, qui mecum de re litteraria non ſemel colloqui dignatus

Digitized by Google

plane ſignificaſti, Te litteras, quibus ſingularem in modum inſtrueris, & exornaris, earumque ſtudioſos æquali amore proſequi. Qua benevolentia fretus ad Te fidenter acceſſi, nec dubitavi, quin meis votis benigne annueres, admittereſque, quicquid ſenium meum, uti

Lib. 1. de Off. *monet Tullius, magis exercitio mentis, quam corporis ſuſtinendum, conatum eſt ad juventutem pro munere meo erudiendam; quo annorum quadragintaquatuor numquam interruptam operam contuli. Quum itaque aliquot annis ante ſcripſerim de Methodo medendi ad placitum Majorum Medicinæ rationalis conditorum, deinde de regendis magnis auxiliis in curationibus morborum, reliquum erat, ut oſtenderem, quemadmodum eiſdem uſus ipſe fuerim; quando ex confeſſo exempla multo efficaciora ſunt præceptis, & per illa, a-*

Epiſt. 6. *nimadverſione Senecæ, brevius inſtruimur quam per præcepta. Quocirca collegi varias curationes variis in locis, temporibuſque a me peractas, in quibus quiddam peculiare, nec protritum, aut re ipſa, aut curandi ratione extra vulgarem uſum exhibetur. Poſtremo de Medicinæ inconſtantia ea mente diſſerui, ut Tironum animos ab inutilium no-*

vita-

Digitized by Google

vitatum ſtudio avocarem, alliceremque ad vera conquirenda omnibus mutationibus exemta. Hæc tibi oblaturus timebam quidem acumen rectiſſimi tui judicii; ſed delectu materiæ, quæ tota uſui impenditur, atque inconſultæ conſuetudini exagitandæ, ſperavi ſuppleri quod deeſt doctrinæ induſtrius elaboratæ, maxime debitum operi Tibi nuncupando tot ornamentis ingenitis acquiſitiſque inſignito. Mitto Decora ab antiquiſſimi, & nobiliſſimi Tui Generis præclare geſtis impertita: ad illa mentem intendo, quæ tuæ præſtantiſſimæ indolis cultus aſſiduus peperit, doctrinæ copiam, atque ſelectiſſimæ eruditionis, ſincerum Reipublicæ amorem, & ſolertiam adminiſtrandæ, morum probitatem, & elegantiam. Conſentaneum igitur fuit, ut hiſce dotibus exornatus in graviſſimis legationibus obeundis magna conſenſione Auguſti Senatus Tibi commiſſis ſummam laudem omniumque adprobationem conſequereris, atque præſumtæ de Te exiſtimationi apprime reſponderes. Novit Vienna, Roma novit munificentiam tuam, perſpicacemque prudentiam, qua coniuncta cum gravitate concinni ſermonis Tibi Principum amore conciliato in proclivi fuit opta-

Digitized by Google

ta impetrare , Venetique Imperii Majeſtatem perhonorifice tueri . Vix itaque hiſce Legationibus perſunctus eras , quum altera Tibi ad Sardiniæ Regem commendata fuit ; novumque patefactum theatrum Tuæ famæ amplianda una cum Publico profectu , votorum tuorum ſumma . Ante tamen hanc noviſſimam deſtinationem Patria flagrans deſiderio teſtandi , quantum tibi deberet , ſtatim ac patuit aditus , maximo omnium civium ſtudio , nullaque interpoſita mora Marciam Purpuram contulit : quam tamen Ipſe promereri vehementius exoptaſti , quam pro Tua moderatione recipere . Neque vero promereri difficile fuit , qui ita conjunxiſti , quæ pertinent ad publicæ procurationis ſapientem rationem cum officiis excolendæ ſocietatis , ut Tibi nihil deſiderandum fuerit ad demandata munia omnibus numeris abſolvenda . Multum quidem confert rebus quibuſcumque provide gerendis præſtantia nativa ingenii , ſed multo plus, ſi accedat litterarum expolitio, quanto a Te diligentius conquiſita tanto felicius comparata ad bene de Patria merendum ; quo ex omnibus rebus humanis , judicio Tullii , nihil præclarius , aut præſtantius eſſe poteſt . In Ep. Fam.

Hi-

Digitized by Google

Hiſce præſidiis ſeptus fultuſque ſi tuæ vitæ curriculum tam utiliter ceteris , tam glorioſe Tibi inviſti , ſi florenti ætate tam luculenta virtutum tuarum experimenta præſtitiſti, quis non præſentiat , quanto cum earumdem incremento reliquum vitæ curriculum peracturus ſis ? Fruere interea parta immortalitate præſentibus, quæ quocumque modo potui , perſtrinxi mihi gratulabundus , quod meas haſce paginas , Te Auſpice , emittere conceſſeris , meamque ſenectutem Tuo fauſtiſſimo patrocinio fulcire . Quanto igitur brevius mihi vitæ ſpatium supereſt , tanto longius tuæ virtuti a Diis immortalibus contentiſſime precor , tuæque vigenti ætati , & conſecuturis optimam valetudinem inſumendam , uti facis , in augmentum Publicæ rei , tuæque celebritatis .

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
Sectionum, & Obſervationum.

SECTIO PRIMA.
De Febribus.

Febris continua cum delirio, & comate. Pag. 6
Febris tertiana duplex intermittens poſt tertium paroxiſmum in continuam ſtigmaticam mutata. 10
Rara imaginatio in Comate vigili acute febricitantis. 18
Febris maligna raro ſtigmate, & variis accidentibus comitata. 21
Tertiana duplex continua cum ſuperventu Pleuritidis alvi fluxu curatæ. 26
Febris Puerperæ ſuſpicioni imminuti puerperii falſo attributa. 29
Febris acuta maligna ſtigmatica, ſive peticularis. 32
Febris quartana intermittens contumax Diatriumpiperon curata. 37

SECTIO SECUNDA.
De Morbis Capitis.

Dolor vehemens Capitis cum fortiore pulſatione arteriæ in tempore ſiniſtro præſagium gravis, variique morbi. 39
Rara Epilepſiæ ſpecies aliis morbis comitata. 48
Epilepſia cum imperfecta Paralyſi. 50
Melancholia in viro litterato. 54
Subita, & magna virium imbecillitas cum levi vertigine conjuncta. 62

SE-

SECTIO TERTIA.
De Morbis Pectoris.

RAucedo ingens cum ſpirandi difficultate. 65
Aſthma extraordinarium. 69
Aſthma repentinum in Femina 73. annorum. 73
Tuſſis cum difficultate ſpirandi, & ſucceſſione rari Hydropis. 77
Aſthma in Femina annor. 70. 88
De raro lateris dolore. 92
Graviſſima Peripneumonia, in qua urina magnum habuit momentum ad præſagium. 95
Pleuritis cum dolore deſcendente deſinens in Empyema feliciter ſuperatum inter gravia laborantis errata. 98
Pleuritis in Femina lactante. 107
Dolor lateris ex Rheumatiſmo prægreſſo. 111
Pleuritis inordinate orta. 115
Pleuritis cum lingua primo die ſicca, nigra, rimoſa, tumida. 120
Hemophthiſis in viro annor. 70. 123

SECTIO QUARTA.
De Morbis Cordis, & Ventris inferioris.

SYmptomata Cordis præter naturam adaucti. 126
Vomitus bilioſus, aliaque ſymptomata orta ab acceptis cantharidibus. 128
Inveterata Diarrhœa aliis morbis complicata. 131
Curatio Dyſenteriæ, & Tenaſmi abſque clyſteribus. 133
Dolor colicus pluries recidivus. 139
Icteritia rara. 147
Icteritia in nobili Patavina, ex qua communis uſus bilis in dubium vocatur. 153

Hy-

Digitized by Google

Hydrops in Sene 65. annorum. 159
Lapis veſicæ in Puero. 165
Stranguria in Sene 73. annorum, cum cibi longa abſtinentia. 169
Tumor ventris cum falſis indiciis Graviditatis. 172
Animadverſio de Lochiis poſt dies ſeptem a partu ſuppreſſis. 177
Abortus menſium quatuor, quo refellitur error Obſtetricum. 182
Admiranda validiorum purgantium tolerantia in morbo æqualiter raro. 186
Eryſipelas faciei ad pectus letaliter extenſum. 191

DISSERTATIO
De Inconſtantia Medicinæ.

CAPUT PRIMUM.

Narratur Inconſtantia Medicinæ. 201

CAPUT SECUNDUM.

De cauſſis externis, interniſque inconſtantiæ Medicinæ. 212

CAPUT TERTIUM.

Animadverſiones de principalibus Sectis. 222

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. F. Paolo Antonio Agelli Inquiſitore di Padova nel Libro intitolato: *Spicilegium Curationum Morborum, una cum Diſſertatione de Inconſtantia Medicinæ, Opus Medicum Homoboni Piſonis &c.* non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni Coſtumi, concedemo Licenza a *Gio: Battiſta Conzatti Stampatore in Padova*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 25. Novembre 1740.

(GIOVANNI EMO Proc. Riform.
(
(PIETRO GRIMANI K. Proc. Riform.

Agoſtino Bianchi Segret.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

SUpra multa, præclaraque Hippocratis Opera illud Aphoriſmorum eminere communis ſenſus eſt, quo brevibus conciſiſque ſententiis omnes Medicinæ partes complexus eſt; ſapienterque in primis una cum brevitate vitæ, & longitudine artis ob oculos ponit periculum experimenti, præcipitem fugam occaſionis, & difficultatem judicii, prudens ſuo experimento, quantæ Operæ ſit, & laboris in hiſce tribus ſine lapſu verſari ob copiam addiſcendorum in tanta vitæ brevitate. Quum enim Medicina ratione, atque experientia conſtet, licet ingenio præſtans, & a puero egregie inſtitutus patienſque laboris rationem non longo annorum curriculo aſſequi poſſet, certe non poteſt experientiam, ſi hanc ſua exercitatione ſibi comparare velit. Huic vero indigentiæ conſulendi viam oſtenſurus ſummus præceptor prævit exemplo ſcribendi hiſtorias morborum, quem poſtea tot alii fructuoſiſſime imitati ſunt; quibus monumentis inſtructi, multorum exercitæ vitæ in operibus artis quodammodo participes ſumus, & noſtræ brevitati uſu communicato ſuccurrimus, noſtrumque futurum prævenimus. Tanti porro utilitatem inde manantem pependit Sydenhamus in Præfatione, ut in hanc exaggeratam commendationem eruperit affirmans, ſi cujuslibet morbi hiſtoriam diligenter perſpectam haberet, numquam ſe neſcire par malo remedium adferre, exaggeratam, inquam, commen-

dationem, quando nec omnes morbi ſub poteſtate medentis ſunt, nec in omnibus adeſt materia mente concepti remedii ex cognita mali natura. Illud tamen aſſentior Sydenhamo, uberrimam meſſem, ſupraque exiſtimationem colligi ad dirigendam praxim ex artificioſe, accurateque tradita hiſtoria morborum, ad quam, uti decet, tradendam multa requiri conſtituit, atque in primis, ut morbi ad definitas, & certas ſpecies revocentur. Perdifficile tamen opus, plerumque ambiguitate propoſuit, exigenſque ſubtiles diſquiſitiones, quas ipſe reprobat, nulloque in numero habendas cenſet. Quomodo enim multiplicia ſymptomata, innexaque & variantia pro diverſitate temperamentorum, regionum, victus rationis, aliorumque accidentium ad germanas cauſſas referentur certam ſpeciem morbi exhibentes ſine logica, & ſubtili diſquiſitione? Quinimo vel hac adhibita quis ſperet tot difficultates imbecillitati mentis humanæ objectas ſuperare poſſe, ambiguaſque vias veri ſine errore inire, & conficere? Fuit, inquit Malpighius in opere poſthumo, ſapientis viri documentum, morbos, ſive ſymptomata, quæ multa, & varia quotidie obſervamus ſub ſpeciebus, aut ideis determinatis omnia non poſſe reduci ob complicationem cauſſarum, & effectuum inde productorum. Enimvero poſtquam narrator curatorum morborum indicavit præpoſitas cauſſas evidentes, expoſuit ſincere, diligenter, dilucideque inſpecta omnia accidentia, itemque uſurpata remedia, & inde conſecutos effectus, non video cur non ſcripſerit utilem hiſtoriam, licet non inſudaſſet expoſitis revocandis ad certam ſpeciem morbi. Hoc ſane onus ſibi non impoſuit Hippocrates, qui libro primo, & tertio morborum epid. ſolis pro genuinis habitis ſimplicem hiſto-

ricum

Digitized by Google

ricum viſa referentem agit, non phyſicum occultorum ſcrutatorem, locumque reliquit tot claris auctoribus relata meditandi, & phyſiologia illuſtrandi. Propterea utilitatem hiſtoriæ morborum egregie promovet, qui de narratis ſuas addit animadverſiones ad ſuas cauſſas ſymptomata pro ſuo captu referens, indicanſque remediorum occaſiones; quibus niſi lector acquieſcat, ſuo ingenio, & ſtudio utens poteſt meliora excogitare. Itaque tironibus, quibus adlaboro, hac via profuturus ſelegi quaſdam curationes ægritudinum a me variis in locis, variiſque ætatibus obitas, earumque initia, progreſſus, mutationes, eventus ſincere, & accurate pro viribus expoſui, ſubinde expoſita uberiori tironum eruditioni inter ſe ſe conferendo. Curatos porro morbos ſelegi, in quibus omnibus, vel pleriſque aut ratione ſymptomatum, aut medicationis aliquid non frequens & vulgare benevolum lectorem, ut ſpero, tenebit. Quamquam enim Sydenhamus in Præfatione affirmat, adeo æquabilem ſibique aſſimilem ordinem naturæ eſſe in producendis morbis, ut in diverſis corporibus eadem plerumque ejuſdem morbi ſymptomata reperiantur; tamen ex attenta conſideratione, intuituque non fugaci ſemper aliqua obtrudetur diverſitas, licet non ſemper æqualis momenti orta ex varietate, qua tota rerum univerſitas aſpergitur. Adeo videntur ova gallinæ inter ſe ſimilia, ut ſit in proverbio, ſicuti notat Tullius *lib. 4. Academic. quæſt.* ovorum inter ſe ſimilitudo. Enimvero idem Tullius *lib. 2. de divinat.* narrat Deli fuiſſe complures ex quæſtu ſolitos alere multas gallinas, qui poſtquam hæ peperiſſent ova, aſſerebant quæ id, vel illud gallina peperiſſet. Tantam etiam inter ſimilia diſſimilitudinem humanæ induſtriæ contentio percipere poteſt. Undenam evenit ut remedia,

Digitized by Google

quæ cum ſucceſſu pluries uſurpata evulgantur in his vel illis morbis, ſæpe in ſimilibus, ut creditur, eodem careant, ſpem fallant? Non aliunde ſane, niſi ex diverſitate alicujus circumſtantiæ, quæ vel narratorem, vel imitatorem exempli effugerit: atque animadverto cum Sydenhamo in Præfatione, meaque experientia, nullam eſſe tam levem, aut exiguam circumſtantiam, ut ſuos uſus non habeat ad cognoſcendam curandamque ægrotationem. Tamen ſciant oportet Tirones, hiſtoriam morborum adamuſſim, & cum omnibus circumſtantiis ita ſcribi non poſſe, ut Pictor aliquam effigiem exprimit oculis in exemplar intentis. Poſtquam receſſimus ab ægroto, quædam exigua, nec tamen negligenda coram ipſo ſenſum ferientia elabuntur, quædam etiam difficilia ad clare exprimendum prætermittuntur, quæ ſimul cum reliquo accidentium comitatu ſenſibus percepta multo luculentius ideam morbi proponunt, quam lecta procul ab ægroto. Quo nomine Empiricorum more aliorum exemplis, expertiſque remediis fidendum non eſt: quæ quidem egregie conducunt fortunandæ praxi, modo tamen non abſit præſentium rationalis conſideratio, qua deſtituta pura Empirica pluribus erroribus obnoxia eſt, eorumque dumtaxat perfugium eſſe poteſt, quibus in gravi periculo unica ſpes ſupereſt a caſu, & fortuna. Medicina, uti notat Valleſius in Præfatione *libr. de morbis vulgaribus* Hyppocratis ex philoſophia, atque experimentis orta eſt, iiſdemque præſidiis conſervanda, augenda, exercendaque: quare cognitio experimentorum abſque philoſophia Empiricum quidem inſtituere poteſt, non medicum phyſicum, qualem phyſicum definivit apte Tullius, acrem inveſtigatorem, diligentemque earum rerum, quæ a natura involutæ vi-

Digitized by Google

videntur. Neque ſane minus involuta occurrunt in perveſtigandis mutationibus corporis humani tanta varietate morborum affecti, quam in veſtigatione aliarum rerum naturalium. Sicut igitur nequit Phyſicus deſcriptus a Tullio diligens eſſe acerque ſcrutator rerum, niſi verſetur in continua collatione rationum, ex qua conſtat Philoſophia, item par ratio valet de medente.

Ordinem narrationum mihi conſtituit tempus, quo obſervanda occurrerunt, & collocatio partium, in quibus prima morbi ſedes eſt, initio ducto a capite, poſtquam expoſui febres generales morbos, nec a certis partibus originem ducentes, in quibus exponendis ordiar a continuis. Hiſtoriæ morborum a pleriſque auctoribus nobis conſignatæ potius provectis in arte ſcriptæ videntur, quam tironibus; quorum utilitati velificandi gratia non ſolos ortus morborum, exituſque complectar, ſed notabiliores mutationes, quæ in toto progreſſu, & quibus diebus contigerint, ut totum morbi curriculum ab initio ad finem uſque in conſpectu habeant, & clariorem ideam efforment.

SE-

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

DE FEBRIBUS.

OBSERVATIO PRIMA.

Febris continua cum delirio, & comate.

CIrca initium menſis Maii anni *1692.*, quo medicæ praxeos tirocinium depoſui, Petrus Boſcheti annor. 50. temperamenti ſanguinei, boni habitus decubuit ex febri continua, quam plures dies ſine medico tulit, & remediis. Ad eum accitus reperi vires conſtantes cum pulſu non multum inæquali, ſed infeſtis vigiliis, & moleſto murmure in aure ſiniſtra cum quodam ſenſu quaſi venti exeuntis. Curationem auſpicatus ſum blanda purgatione, qua viſa eſt febris non obſcure imminui. Enimvero, cum duos dies poſt purgationem quaſi febri immunis videretur, incœpit delirare, e lecto ſurgere, abſurda loqui, & efficere. Proximo die comate occupatus nec inclamantes audiebat, nec vulſiones pilorum, nec alia irritamenta cuti adhibita percipiebat; muſculique cervicis ita erant tenſi, ut neque vi flecti poſſent. Poſt acre ſuppoſitorium detractus eſt ſanguis e vena brachii, appoſitæque tergo cucurbitulæ ſcarificatæ, & abraſo capiti Gallus per medium ſectus, quibus nihil proficientibus juſſi brachia fœmora & crura urticis cædi; ſenſuſque doloris lamentatione proditus eſt. At ſub me-

Digitized by Google

meridie horis tribus plus minus ab uſu urticarum non ſolum diſcuſſum eſt coma, ſed renovato delirio e domo fugit per vicinum campum diſcurrens. Retentus a Domeſticis, & domum adductus toto die inquietus permanſit, ſequente quievit oppido languidus. Tertio largo ſudore e toto corpore ſcatente abſque alia vacuatione morbi fomes expulſus eſt, reſtituta ſalus.

Accidit ſonitus aurium extra febres, & in febribus, diverſiſque cauſſis ortus diverſa quoque habet præſagia. Excitatum initio univerſali febrium obſervavi ſæpe portendiſſe febrem mali moris, & periculoſam, interdum & cum delirio: quod etiam magis indicatur a ſurditate pariter orta in principio; uti conſtat ex ægrotis relatis ab Hippocrate *lib.* 1., *&* 3. *morbor. popul.* in quorum multis ſurditas delirium præceſſit; & præ ceteris accidit Hermocrati decumbenti juxta novum murum ſtatim cum febre ſurditate affecto. Docuit etiam Hippocrates in Coacis prænotionibus quale delirium, & quibus ſignis comitatus aurium ſonitus ſignificet. Videntur hæc duo ſymptomata, ſopor & delirium a cauſſis contrariis produci, ille ſcilicet a frigido, & humido, ut placet multis Majoribus, alterum a calido, & ſicco. Quum autem tam brevi tempore delirio ſucceſſerit ſopor, & ſopori delirium, certe tam brevi ſpatio videtur improbabile, mutationem cauſſarum in contrarium eveniſſe. Proſper Martianus *lib.* 7. *Epid.* in hiſtoria filii Pythonis cenſet ab eadem materia bilioſa delirium, & coma produci poſſe: delirium, ſi e venis exhalatio ſiccior in cerebrum effundatur: ſoporem, ſi a materia bilioſa exiſtente in ventre, & partibus inferioribus immittantur in Cerebrum vapores participes humiditatis. Niſi hæc arrideat explicatio, dic delirium concitatum fuiſſe a materia bilioſa ſan-

Digitized by Google

ſanguinis miſtionem perturbante, & ſpiritus agitante; ſoporem ab ſero effuſo a vaſis cerebrum irrorante, & obſtruente, quando in noſtro ægroto convulſio cervicis teſtatur humoris influxum in nervos muſculoſque. Huic igitur ægroto accidit, de quo admonemur ab Hippocrate in Coacis Prænot. Sect. 1. *Deliria cum ſopore convulſoria*. At quo pacto, quave cauſſa diſcuſſus eſt ſopor, fortius delirium rediit? In ſopore intro ſe recipiens calor auctuſque materiam obſtruentem diſſipavit, diſſipandæque opinor etiam contuliſſe urticæ irritationem. Ceterum par eſt quoque exiſtimare ex criſi, quæ ſecuta eſt die proximo vehementer a natura humores commotos eſſe, ab hiſce inſtauratum delirium: quando inſtantem criſim magna commotio præcedere ſolet. Ex reverſo tamen fortiore delirio minime permotus ſum ad iterandam ſanguinis detractionem, opinatus ſatis eſſe detractum: quod bene vertit ægroto, qui potuit ferre magnam virium conſecutam dejectionem ſine perturbatione naturæ proxime paratæ ad finiendum morbum per ſudoris prolixam effuſionem. Porro conſtat adeo obſcura eſſe, & abdita, quæ intra nos geruntur, adeo difficilis cognitio qualitatum humorum, mutationum, & modi, quo ad diverſas partes translati eas afficiunt, ut ſatis ſuo muneri fecerit, nec cenſoriam animadverſionem meritus, qui in variorum accidentium reddenda ratione breviore intervallo a probabili receſſerit.

Quandoquidem mentio facta eſt de filio Pythonis, qui febre acuta, & comate ſomnolento laboravit, fortaſſe ex eadem videbitur, validum catharticum efficacius futurum fuiſſe venæ ſectione, ad diſſolvendum ſoporem, quo pacto ab Hippocrate in eo filio ſolutus eſt. Ceterum diſpar valde ratio fuit in hoc ægroto, in quo erat aperta indi-

Digitized by Google

indicatio expurgandi ob humorem bilioſum, qui ad ventrem ferebatur, ibique detentus febrem, & ſoporem augebat; expulſus utriuſque decrementum adferebat: quo cognito ex glande præmiſſa, & præterea quia alvo non provocata venter intumeſcebat, Hippocrates forte expurgans opportune porrexit. Nil tamen ex his fuere in meo ægroto, cujus ſalutem prolixus ſudor molitus eſt, non ſpontanea, vel petita copioſa dejectio.

Mos eſt plurimorum ſuperveniente febribus ſopore extemplo globulum ignitum cervici admovere, vel ſi mitius agere velint, variis partibus veſicantia affigere tamquam germanum ejus expugnandi remedium, de quo non attinet diſputare. Hiſce tamen in hoc ægroto non una ex cauſſa minime uſus ſum, quæ nec tam efficacia, nec tam promta ad effectum judicabam, ut requirebatur. Multo fuit utilior ſine mora parabilis urticarum cæſio, ſubitoque vim ſuam exerens lateque fundens, agricolæ quidem accommodatior, ſed neque in aliis pro data occaſione contemnenda. Eodem remedio uſus ſum in Oppido Brignani ditionis Vicecomitum Mediolanenſium, ubi ære publico conductus medicinam faciebam, in fabro lignario, qui die ſexto febris continuæ lapſus eſt in ſomnum profundum nullo tamen ſuperventu graviorum ſymptomatum. Pulſus erat parum inæqualis, & ſat firmus, nec reſpiratio laborioſa; quibus confiſus non valde ſollicitus fui de ſomni profunditate, idque unum me ſollicitum habebat una cum domeſticis, quod non poterat excitari ad capiendum cibum; quare id conſilium cœpi. Hora cibi porrigendi verberabantur coxæ, & crura acrioribus urticis, quibus excitatus ſumtoque cibo paullo poſt profunde dormiebat. Duos potiſſimum dies opera urticarum expergefacto idonea cibi

B quan-

Digitized by Google

quantitas oblata eſt, tertio vix urticis indiguit, & nocte peracta copioſa egeſtione materiæ viridis viſcoſæque incepit vigilare, parum febrire, brevique deſiit. Hanc febrem ex genere meſentericarum, ut appellant Recentiores, fuiſſe exiſtimo, animadvertente Proſpero Martiano, ſcatentibus venis impuris crudiſque ſuccis produci vigilias, prima regione ſimiliter inquinata ſoporem. Hac conſideratione videbatur opportunum catharticum, quo abſtinui ob febris ſtatum, in quo, uti docemur ab Hippocrate, aliiſque Majoribus, conſultius eſt quieſcere, morbique ſolutionem expectare, quam expectari poſſe citra periculum pulſus, & reſpiratio indicabant. Quamquam autem in hoc ægroto ſoporem genitum fuiſſe ex facta congeſtione ſucci crudi viſcoſique in primas viis judicavi, tamen neque venas morbido humore vacuas fuiſſe ratio continuæ febris oſtendit; ideoque praxim Hippocratis ſervavi.

OBSERVATIO SECUNDA.

Febris tertiana duplex intermittens poſt tertium paroxiſmum in continuam ſtigmaticam mutata.

ANgela Peregrina in vico Laudenſi annor. 18. temperamenti ſanguinei multis comeſis fructibus horariis multumque defatigata in choreis more juventutis ſub initio Septembris anni *1692.* detenta fuit febri tertiana duplici intermittente, quæ quotidie cum frigore, & horrore invadebat, deſinebatque; treſque dies eamdem formam ſervavit. Tertio præbui lene purgans, quod plura bilioſa, & viſcoſa exportavit. Enimvero no-

Digitized by Google

noćte proxima, qua febris penitus ceſſare debebat, invaluit cum intenſa ſiti, adurenti calore, & totius corporis conflictatione. Igitur mane quarti diei cognita permutatione tanta ſuſpicatus ſum fuiſſe quamdam præparationem ad febrem ſtigmaticam, exploratoque tergo vidi aliquot initia exanthematum, quaſi pulicum morſus. Urina, quæ aliis diebus erat mediocriter craſſa, & particeps citrini coloris, eodem mane apparuit craſſa, turbida, & ſolito coloratior. Itaque ſtatim e vena brachii ſeptem unciæ ſanguinis detractæ ſunt, qui nec habitu, nec colore quidquam ſuſpicioſum exhibebat. Eodem die quæſta eſt de virium imbecillitate, ſed noctem placidus ſomnus occupavit, febriſque poſt mutationem in continuam dumtaxat die quinto incrementum noctem verſus cœpit, inhibuitque majori ex parte ſomnum. Urina, quæ ab emiſſo ſanguine minus turbida, & craſſa evaſerat, ſemper melioris conditionis notas acquiſivit. Exanthemata tamen primis ſimilia præcipue in tergo, & brachiis initio ſexti diei conſpicua reddita ſunt, eodemque die ſitis vehemens, valde infeſtus oris amaror, minor hiſce capitis dolor. Ab die 6. ad 9. uſque febris paulatim decreſcens ultra extenſa non eſt. Totam hujus febris curationem peregi unico miti purgante, detractione ſanguinis unica, atque ad extinguendam ſitim, fervoremque humorum compeſcendum decoctione borraginis, acetoſæ cum nitro purificato.

Alias febres multas initio tertianas intermittentes poſtea in continuas permutatas vidi, idque fere contigiſſe in tertia, vel poſt tertiam acceſſionem, ſed hanc narrare ſufficiat meis animadverſionibus exponendis. Antiqui ejus mutationis cauſſam referunt ad diverſos focos putredinis in diverſis locis vaſiſque concluſos, nec ſimul ac-

cenſos: quam diverſitatem fomitis febrilis ſaltem in diverſis vaſis exiſtentem refutant fautores circuitionis promiſcuos humores per omnia vaſa circumferentis; cum quibus non vacat ultro contendere, ſuppetente ratione explicandæ mutationis tertianæ in continuam abſque Veterum aſſumto. Itaque mihi in proclivi eſt concipere multa impura contineri in prima regione, ſede intermittentium, uti placet doctiſſimo Fernelio aliiſque; ſimulque eſſe immixtas ſanguini exoticos humores poſt duos vel tres dies in actionem erupturos, propterea tertianam præcedere, ſequi continuam.

Sæpe puncta rubentia in febre continua inditia ſunt pravi fermenti fervoriſque, & morbi periculoſi, quo præſagio caruerunt in hac adoleſcentula, cujus febris facta continua brevi ceſſavit, & ſolum duabus noctibus quietem ſomnumque perturbavit, aliaque intulit, uti narratum eſt, non valde formidoloſa. Neque vero ea ſtigmata in temperatura ſanguinea, ætate & febre fervente, atque ſine comitatu pravorum accidentium multi feci; & iccirco contra morem plurimorum nec cucurbitulas ſcarificatas, nec ſiccas apponi juſſi, nec ullam potionem macularum eruptionem promoventem propinari, qui vix medicinam facere inceperam, cum ex prægreſſa exercitatione conferendarum rationum in philoſophicis diſputationibus cognoveram, quot falſis opinionibus ars noſtra ſcateat, non amplius ſtudium ſapientiæ, uti apud Pithagoram, Empedoclem, & Democritum, ſed lucri, non contemplatio naturæ, ſed obſervatio conſuetudinis, ab inſcitia populari inductæ. Cur autem earum macularum eruptionem conſuetis remediis urgendam non eſſe ſentiam, aperui in Regimine magnorum auxiliorum. Neque hercle me removet a propoſito Fracaſtorius

Digitized by Google

rius narrans in quadam frequentia febrium ſtigmaticarum multos evaſiſſe, quibus fiebat macularum exitus copioſior, multos periiſſe, quibus maculæ raræ ſparſæque erumpebant. Nec enim exiſtimo mortem imputandam eſſe paucitati macularum, ſalutem copiæ, ſed aliis qualitatibus conjunctis magis minuſve ſanguinem corrumpentibus, quæ conjungi poſſunt cum paucitate macularum, itemque cum copia, ſed, ut compertum habeo, frequentius cum copia. Vidi nuper perilluſtrem Antonium Bruſoni Patavinum ab hujuſmodi febre ſublatum, cujus totum tergum ſparſum erat maculis rubris latiſque. Vidi nuperrime D. Bernardinam Balaſſam eadem febri extinctam, in qua tribus diebus ante obitum eruperant toto corpore maculæ, & in tergo denſiſſimæ. Hæc addidiſſe ſufficiat aliis jam typis conſignatis de eodem argumento.

Sanguis mane quarti diei ductus eſt, nec me deterruit ab eductione ſtigmatum incipiens exitus, nec me deterrere debebat juxta ſaniorem doctrinam, & ſententiam graviorum auctorum; utiliterque ductum fuiſſe oſtendit imminuta craſſitudo, & confuſio urinæ. Illud tamen in hac curatione ſuſpicient Medici, quibus quaſi quædam religio eſt in feminis objecta occaſione tundendæ venæ, hanc prius in brachio poſtea talo vulnerare: qua præter. miſſa timor omnes in hac regione inceſſit, ne humores ſubinde caput pernicioſe impetant: itaque feminæ nullo facto diſcrimine ſemper coguntur bis ſcalpellum pati, quaſi a natura non ſatis abjectæ forent ad continuas moleſtias: in quam conſuetudinem animadverti quoque in mea Methodo medendi. Nocte diei tertii febris evaſerat acuta, erat temperamentum ſanguineum, florebat adoleſcentia, nec hiſce omnibus conjunctis poſt ſanguinem

extra-

extractum ex brachio, intacto talo ullum prorſus inditium apparuit rapti in caput humoris. Effluxerant ante aggreſſionem morbi de more menſtrua; ideoque nulla mihi exhibita indicatione feriendæ ſaphenæ, huic peperci: ſed mirum eſt, quam ex levibus initiis falſæ opiniones obrepant; quam proclivis ſit mens humana ad errores, atque ex iis, quæ aliquando accidunt, non bene perpenſis trahendas conſecutiones generales; quantaque ſit poteſtas imaginationis in meticuloſis ad abſurda confirmanda. Caſus tot bonorum inventor, non minus ferax eſt abſurditatum ſub interpretatione idiotarum. Tolle caſum a Medicina, & vulgi ignorantiam ad paucos, & ad pauca multo utiliora redigetur. Non ſolum autem cubiti venam dumtaxat reſignavi in mea regione, ubi conſuetudo non percellit imaginationem mulierum metu aſcenſuri ſanguinis, niſi retineatur icto talo, ſed etiam Patavii, quum mihi integrum fuit rationem ſequi non vulgatum morem. Ante multos annos ancilla nobilis Cortuſii in vicinia Sancti Firmi aliquot diebus poſtquam juſta quantitas lunaris purgationis ſtillaſſet, faciei ereſypelate detenta fuit, meoque juſſu ſolam venæ brachii vulnerationem paſſa. Obſtupuerunt domeſtici, qui tamen nullam inde noxam ſecutam viderunt, brevique reſolutum morbum contra quam expectabant. Ceterum alvi ſolutionem ſubſtitui non inciſæ ſaphenæ: occurrentque pariter in ſequentibus aliæ curationes mulierum ſola venæ ſuperioris inciſione peracta.

Quandoquidem narravi febrem tertianam duplicem prægreſſo frigore invadentem abiiſſe in continuam & ſtigmaticam, non committam, quin expendam, utrum ea mutatio potuerit caveri indico cortice propinato poſt primam vel alteram acceſſionem. Invaluit enim apud mul-

Digitized by Google

multos opinio, prima acceſſione parari fomentum ſecundæ, hac tertiæ aliarumque ſimilium, immo fortaſſe deterioris conditionis; itaque poſt unum vel alterum circuitum confugiendum ad quinquinnam, quod vidi a pluribus Venetiis & Patavii executioni mandatum abſque alia animadverſione, ſive ægrotis id optantibus annuerent, ſive ex arte exiſtimarent; quæ ſane praxis non conſentit cum antiqua. Caruerunt quidem Priſci cortice, ſed alia poſſederunt antidota adverſus febres per circuitum redeuntes, atque inter iſta flores chamemæli, quos Baglivus modo peculiari paratos quinquinna efficacia antecellere decernit: quibus tamen dumtaxat utebantur Antiqui tempore præfinito ab inditiis coctionis humorum modo citius, modo tardius apparentibus. Fateor porro curſum intermittentium corticis uſu tempeſtivo contrahi; in quo tamen ſicut in vetuſtiſſimis remediis purgatione, & venæ ſectione non raro peccatur; quum nequeat conſtitui pro varietate temporum, temperamentorum, & cauſſarum, aliorumque conjunctorum methodus omnibus laborantibus communis; ſapienterque dixit magnus Galenus tot eſſe methodos medendi, quot ideas morborum ex ſingularibus ægrotis aliquam diverſitatem contrahentium. Celeberrimus Profeſſor in Papienſi Academia Florentius Gallaratus cenſet aliter tractandas febres intermittentes autumnales, vernales, aliter æſtivas, & paullo ante ortas, in quibus aliis omiſſis remediis ſancit plerumque ad quinquinnam confugiendum eſſe, non reprobans in aliorum temporum febribus vulgarem methodum curandi. Prudenter, inquam, dixit plerumque ita tractandas intermittentes æſtivas, pluribus extantibus exemplis febrium tertianarum ante, & poſt inventum peruvianum remedium feliciter brevique purgantibus

expu-

Digitized by Google

expugnatarum etiam tempore æſtivo abſque illius ſubſidio. Producam recentia atque ex patria mea petita. Accuratiſſimus, & Doctiſſimus Paullus Valcarenghi in eruditiſſima ſua methodo rationali magnam commendationem adepta apud clariſſimos viros affirmat, Menſe Auguſti 1735. febres tertianas exquiſitas graſſantes Cremonæ ſe ſe curaſſe vomitu provocato præſertim ypecacuanha, aut blandis dejicientibus pro diverſitate loci continentis fomitem febrilem; & raro admodum uſum eſſe china china; nihilo tamen ſecius eas in quinta acceſſione plerumque omnino ſublatas. Neque hercle video cur ad primam aggreſſionem tertianæ, vel ſecundam etiam tempore æſtivo ſit adminiſtrandus cortex, quaſi aliquo intervallo facto prægreſſa febris jactura ſemen eſſet plurium circuituum, vel abitura in continuam & pravam. Feſtinata ejus remedii adminiſtratio ceteris prætermiſſis ratione utenti non aliunde, niſi fallor, ſuaderi poteſt, quam ex virium debilitate, gravibus accidentibus febrem comitantibus, coactamque curationem exigentibus; uti ſi ſuperveniret ventriculi cholera vires admodum dejiciens; in quibus tamen anguſtiis ingenioſi Veteres ante corticis inventum perfugium invenerunt. Non prætcribo quod narrat Riverius *Centur.* 3. *Obſerv.* 78. Juvenis quidam bilioſo temperamento præditus incidit media æſtate in febrem tertianam, quæ duabus primis acceſſionibus ſatis mitis apparuit, ſed in tertia acceſſione tanta fuit bilis ferocia, ut concitato vomitu, alvique fluxu frequenti cum maxima virium jactura ſummum ægro periculum impenderet. Quia vero timebat, ne redeunte acceſſione ferum illud ſymptoma rediret, præbuit quatuor grana laudani duabus horis ante formidatam acceſſionem, quæ tamen valde mitis fuit omni formidine vacua.

Item

Digitized by Google

Item non dubitarem celeriter corticem præbere, ſi æger aſſuetus eſſet cavere errata in quantitate, & qualitate ciborum, qualem memoriam ſubit fuiſſe Antonium Bellini nobilem Patavinum, & clariſſimum Juriſprudentiæ Profeſſorem, cui lapſo, neſcio qua de cauſſa, in febrem tertianam intermittentem poſt ſecundam acceſſionem celebre antidotum porrexi. Verum negligentibus probæ ſervandæ dietæ eritne idem exequendum propter metum, ne febris tertiana abeat in continuam, & periculoſam? Hic profecto tranſitus non fiet, niſi adſit in ſanguine proxima præparatio ad eumdem in actionem mox exitura: quam opinari poſſe per corticem tolli e numero poſſibilium eſt, non rationabilium: atque ſi ad inſtituendas curationes quærimus poſſibilia, tota ſalus ægrotantis ſub poteſtate caſus erit. Ea ſane ſi ſtemus ſententia Sydenhami in artis operibus oppido exercitati, febrem eſſe inſtrumentum naturæ ad ſeparandum purum ab impuro, anne congruenter exiſtimabimus duabus, vel tribus aggreſſionibus tertianæ ita confundi purum cum impuro, & corrumpi, ut evadat in cauſſam continuæ & malignæ, niſi hæc mutatio aliunde fuerit in procinctu? Quo poſito non inanis timor ſubit, ne porrecta quinquinna, inhibitoque motu naturæ ægrotatio aut longior fiat, aut periculoſior ut aliquando contigit. Quum igitur obſervatum iterato ſit, mutationem tertianæ in deteriorem in tertio, vel poſt tertium circuitum ſolere accidere, ignoratione an ſint parati humores ad eum tranſitum, tutior eſt uſus corticis ſaltem poſt tertium: in quo apparentibus mutationis indiciis integrum eſt præſtituere indicatam a novitate medicationem. Niſi vero ſint parati humores ad deteriora, tamen poſt tertiam acceſſionem illius uſus erit utilior. Quum enim iſte ſo-

Digitized by Google

leat eſſe gravior prægreſſis, effectrix materia e ſuis latibulis elata diſpanditur, ejuſque portio vel per cutis inviſibiles meatus, vel per manifeſtas vias excernitur, excretamque ſequens uſus antidoti, ſuperſtitem efficacius domat, aut evacuat, quæ ſcilicet in pluribus alvum iterato utiliterque ſolvit; id quod mihi multiplici meoque experimento conſtat; qui plures tertianas corticis minore quantitate præſtita, nec facto quatuor horarum vel ſex intervallo pluries repetita ſubactas vidi, nec vidi quæ aliquando contigerunt ab exhibito cortice poſt primam tertianæ acceſſionem. In fine Octobris anni 1729. Nobilis Patavinus comes Julius de Doctoribus tertiana correptus Indico remedio ſtatim accepto paſſus eſt turbationem, & confuſionem tantam capitis, ut ſe apoplexiæ ſuccubiturum timeret. Addo eventum, qui poſtquam ſuperiora ſcripſi, accidit. Nobili Patavino anno 1740. menſe Julii laboranti tertiana remittente non intermittente initio præmiſſa purgatione præſtitus eſt cortex; qui ſane non coercuit humores paratos ad deteriora. Namque febris cum gravibus ſymptomatis vehementer increvit, eruperunt ſtigmata, & ſalus in magnum diſcrimen conjecta.

OBSERVATIO TERTIA.

Rara imaginatio in Comate vigili acute febricitantis.

FRanciſcus Quaini annor. 45. temperamenti ſanguinei & melancholici poſtquam capitis dolore biduum laboravit, die 20. Auguſti anni 1696. detentus eſt febri acuta, quæ bis detracto ſanguine, & laxata pro indigentia alvo, protracta eſt ad diem 13. abſque magno incre-

men-

Digitized by Google

mento, & pernicialibus ſymptomatis. Hoc tamen die ſupervenit coma vigil, quo fere ſemper in ſomnum pronus erat, & ſæpe dormire videbatur, interdum tamen inconniventibus oculis immotiſque certum cubiculi locum inſpiciebat: quem fixum intuitum male interpretantes Domeſtici ægrum excitare nitebantur. Ita commotus iraſcebatur, nec amovebat oculos a loco in quem primo defixerat. Tres dies perſeveravit hæc affectio: quæ mihi nullum incuſſit timorem non impediens, quominus ſtatutis horis cibum acciperet, nec inferens aliud formidoloſum ſymptoma: & præterea pulſus parum erat inæqualis, facilis reſpiratio. Paullatim igitur ſponte ſolutus eſt ſopor, una cum febri. Morbo expeditum interrogavi, an recordaretur eorum, quæ paſſus erat, quæ cauſſa fuiſſet, cur aliquando certa loca tam intente, & conſtanter intueretur, ut ægre pateretur domeſticos excitantes. Memoria, reſpondit, optime teneo, quæ paſſus ſum, & cauſſam immobilis intuitus fuiſſe delectationem ſummam, qua capiebar ex jucundiſſimo ſpectaculo mihi repræſentato in eo loco, in quem oculos intendebam. Videbar mihi videre ingens templum decoris ſedibus ornatum, multis facibus accenſis ſplendens, reſonanſque muſico concentu. Iraſcebar iccirco, dum excitabar, propterea quod excitatus tam voluptuoſo aſpectu privarer, metueremque tantæ voluptatis perpetuam jacturam.

Supervenit interdum coma vigil febribus continuis acutis, ut accidit deſcripto ægroto; & Villacorta *Diſput.* 12. *de locis affectis cap.* 2. probat hanc affectionem ſine febri produci non poſſe, & fere omnes Antiqui mediam conſtituunt inter Phrenitidem, & Lethargum utriuſque cauſſæ participem, bilis ſcilicet & pituitæ, de qua nihil

melius excogitavit Vuilliſius utens de more ſuæ imaginationis libertate. Verum non longe a veriſimilitudine meo judicio recederet, qui ejus affectus cauſſam ad materiam obſtruentem cum aliquo fervore referret impediente ſomni longioris, & profundioris conſecutionem, quam humor ſine fervore obſtruens pareret.

Habet aliquid ſimile coma vigil Catalepſi ob oculos inconnivos immotoſque, quos interdum ſervat comate vigili detentus, uti catalepſi: ſed multiplici ratione differunt hi affectus, & præſertim, quod in comate vigili nulla membrorum rigiditas eſt, qualis in Catalepſi. Cur autem eo occupati immobiliter ex intervallis certum domicilii locum intueantur, a nemine, quod ſciam, ratio allata eſt, quam mihi videtur caſus obtuliſſe. Quemadmodum enim in noſtro ægroto imaginatio exhibebat ad intuendum ingens & decorum templum, eaque cauſſa erat defigendi inconniventes oculos; item alienum non eſt opinari in aliis ſimili affectu impeditis ab imaginatione aliquod viſum obtrudi magna contentione ſpectandum. Conſtat etiam ex hac obſervatione in comate vigili ſaltem ex natura affectionis abſolute conſiderata memoriam non offendi; uti pariter contingit in Catalepſi, narrante Galeno *in com. lib. 1. Porrethi. ſect. 1. par. 36.* hiſtoriam condiſcipuli ſui, qui aſſiduo ſtudio fatigatus Catalepſi captus eſt memoria incolumi, nempe recordatus poſt diſcuſſum affectum aliquot earum rerum, quas morbo occupatus ab adſtantibus audiverat.

Exitus felix deſcripti ægroti comprobat etiam, quod aſſerit Hippocrates *Sect. 6. Aphor.* 53. delirium cum riſu ſecurius eſſe quam ſollicitudine plenum. Delirium vero ex communi ſententia cum comate vigili conjungitur tamquam ejuſdem pathognomonicum ſymptoma. Sive

porro

Digitized by Google

porro rideat ægrotus, ſive habeat jucundam imaginationem, ex utroque ſucci benignitas indicatur; ſed indicium riſus ſub aſpectum cadit, jucunda imaginatio dumtaxat ab ægroto reſtituto cognoſci poteſt.

Tres dies perſeveravit ſopor vigil, de quo diſcutiendo minime ſollicitus fui; quum a domeſticis excitatus æger non ſubito ad priſtinam quietem rediret, ſed valde agitaretur: quare juſſi ut quieſcere ſinerent, & bene ſperarent, fretus pulſu & bona reſpiratione. Nempe magis timebam agitationem, & moleſtiam perceptam ab excitantibus, quam ſoporem non profundum, nec obſiſtentem irritamentis excitantium: ſperabam etiam fore, ut quiete humores facilius redigerentur ad priſtinam mixtionem, & noxia materies reſolveretur, uti revera uſuvenit abſque ullo medicamine ſuperato morbo. Quemadmodum natura eſt morborum medicatrix, ita mihi magiſtra fuit quadam anticipatione, & prælucente Hippocratis praxi, ut caverem maxime in acutis copiam remediorum; idemque documentum confirmavit medicatio pauperum, ſine qua neque opera naturæ in morbis cognoſci poteſt, neque ſuperfluitas, aut detrimentum remediorum.

OBSERVATIO QUARTA.

Febris maligna raro ſtigmate, & variis accidentibus comitata.

DOm. Lucretia filia enſium fabri annor. 23. temperamenti ſanguinei, & pituitoſi mollis corporis obeſique die 3. menſis Octobris anni 1705. Venetiis incidit in febrem continuam poſtquam ruri commorata multos

ficus

ficus & mala perſica comediſſet; die 6. ægritudinis veſpere acceſſi ad ægrotam, quæ antea, neſcio quo adminiſtratore, acceperat catharticum, & die 5. ſirupum emeticum Salæ, quo valde agitata fuerat. Febris acuta continua, vehemens capitis dolor, inquies, rubræ urinæ craſſæque. Lactabat infantem. Primo aſpectu ſuſpicatus ſum febrem eſſe de genere ſtigmaticarum, exploratoque tergo vidi exigua ſtigmata rubentia. Prohibito lactatu poſtridie mane, prius appoſitis tergo cucurbitulis ſcarificatis, detractæ ſunt ex talo unciæ ſeptem ſanguinis. Imminutus multum eſt capitis dolor, aliquantum craſſities, & rubor urinæ. Nocte conſecuta non parum obdormivit. Die 8. nulla mutatio notabilis; nono urina craſſior, & coloratior, magna in ſomnum propenſio. Die 10. magis ſomniculoſa fuit: coxis, & cruribus ſiccæ cucurbitulæ admotæ ſunt. Die 11. accepto ſirupo roſato ſolutivo aureo cum decoctione pulpæ thamarindorum copioſe & utiliter dejecit. Die 12. adhuc valde ſomnolenta fuit, leviterque delira: nihil abſurdi interrogata loquebatur, tamen cum lepore reſpondebat compoſito ad tranquillitatem vultu, immo horam unam integram riſit more ſanorum auditu vel aſpectu ridiculi. Porro graviore ſomno ſub veſpere occupata iteratæ ſunt cucurbitulæ ſiccæ, admotaque veſicantia coxis brachiiſque. Non deſtitit ita ſomnolentia augeri, ut nocte appellata nihil penitus reſponderet. Circa mediam noctem acceſſit ſingultus hora integra perſeverans, ſupinus decubitus, oculi ſiniſtri perturbatio. Mane tamen poſt horam decimamprimam experrecta ſaniore mente fuit, & remiſſior febris. Iniecto clyſtere multa æruginoſa craſſa coctaque excreta ſunt. Hoc tempore apparuerunt aliquot vibices ſanguinei coloris lati, diſtincti ab initio tergi ad dimidium uſque extenſi,

tenſi, cujuſmodi antea non videram in pluribus febribus ſtigmaticis a me curatis; quos tamen ab aliis aliquando obſervatos fuiſſe legi: item nates partem aliquam denigratæ erant. Die 14. ad veſperum uſque mediocriter ſe habuit, ſed adventante nocte ſoporata eſt, permanſitque ſopor toto die 15. noctis magna parte. Veſicantia in femoribus admodum decolora erant, & cucurbitulæ ſiccæ appoſitæ vix tenuem notam ruboris inducebant. Quum morbus in deterius lapſus videretur, auctumque periculum ſub aurora diei 16. ad ſe ſe redivit diſcuſſo penitus ſopore, & inde paullatim extincta febri.

Contra ſpem meam hæc affectio victa non eſt, qui domeſticis animum deſpondentibus, & funebria præparantibus ex obſervatione pulſus ſatis firmi, & ferme æqualis, & facilis reſpirationis aſſerebam, non ita ſolere mori ægrotantes. Mihi profecto majore momento erat ad ſperandum conſideratio pulſus, & reſpirationis, quam languidus color cutis eroſæ a veſicantibus, perturbatio oculi ſiniſtri, ſingultus horam unam perſeverans, & alia narrata ad timendum. Animadverteram etiam ab ultimo impoſito clyſtere, quem convenienti tempore retinuerat, cum ſurgeret ad egerendum, animo conſtitiſſe, licet morbus provectior eſſet, quæ poſt priores impoſitos leviter defecerat. Quo tempore advocatus ſum ob fortem capitis dolorem conjunctum febri acutæ continuæ detractus eſt ſanguis, licet eſſet dies ſextus ægritudinis conſentiente ætatis flore, & virium robore: neque deterritus ſum a punctis rubris apparere incipientibus, inciſa tamen vena tali pluribus minus ſuſpecta brachii vena, & adhuc minus eodem mane cucurbitulis tergo admotis: peractiſque ſucceſſit eodem die non modicum levamen dolentis capitis. Quandoquidem injecti clyſteres ante diem undecimum

pa-

Digitized by Google

parum exportaverant, die undecimo porrexi mite catharticum, hac quoque animadverſione, quod urinæ craſſæ forent ſecutus Hippocratis argumentum ad purgandum; nec aliam deinde vacuationem molitus ſum præter clyſterem die decimitertii. Non ſemel admotæ ſunt cucurbitulæ ſiccæ, & addita veſicantia ad impediendum graviorem ſoporem, qui videbatur inſtare, & oppido domeſticos terrebat remedia poſcentes. Ceterum opinor ſoporem illum, ſeu ſomnum naturali profundiorem ſalutarem naturæ fuiſſe primis diebus morbi a continuis vigiliis multum fatigatæ; idque confirmat ceſſatio delirii poſt eumdem, juxta Senis monitum: *Ubi ſomnus*, inquit, *delirium ſedat*, *bonum* Sect. 2. Aphor. 2. Tamen quia judicium, eodem admonente, difficile eſt, atque futura providere, itemque conſuetudini obſiſtere, vulgique rumoribus, tentata ſunt, quæ ſoporem debilitare poſſent. Revera poſtquam iterum ſopore vigintiquatuor horarum detenta fuit, interdum tamen aliquam vocem edens cum pulſu frequente, non tamen imbecillo, mentis integritatem recuperavit, per id tempus reſoluta materia cerebrum obſidente, & confecta coctione humoris febrilis, quam febris finis conſecutus eſt; cui conſequendo aliquid contulit medicatio, ſed multo plus natura materiam emendabilem corrigendo, non emendabilem per inſenſilem perſpiratum extrudendo; quando nulla ſpontanea excretio copioſa per manifeſtas vias contigit.

Tres principales conſtituuntur in Scholis ſpecies delirii, uti notat Henriquez de Villacorta *Diſput. 7. de Delir. natur. cap. 1.*, in entitate altera, altera in tempore, tertia in modo. In entitate, ſive eſſentia, ut latine loquamur, delirat, qui falſo componens rerum imagines, falſa tamquam vera affirmat, uti ſi famulus ſe dominum eſſe

eſſe jactaret. Delirat in tempore, qui vera quidem dicit, ſed extra idoneum tempus, occaſionemque; uti ſi quis confeſſioni peccatorum immiſceret ſermonem de rebus veris, ſed jocoſis. Is demum in modo delirus eſſet, qui aliqua de re interrogatus ferocius quam per naturam præberet reſponſum, vel nimis ſubmiſſa voce, vel alio incongruente modo: cujuſmodi delirium accidit narratæ ægrotæ, quæ interrogata apte quidem reſpondebat, ſed cum lepore a reſponſis alieno. Cauſſa leporis in reſpondente, vultuſque ad tranquillitatem compoſiti riſum quoque excitavit extra occaſionem. Lepor tamen, itemque riſus mitiores ſuccos indicabant, ut exitus comprobavit; tametſi alia ominoſa indicia ſupervenerint. Fit riſus in morbis non una ex cauſſa: nempe ex motu convulſivo læſo ſepto tranſverſo, ut accidit Tychoni, qui, narrante Hippocrate *lib. 5. morb. popul.*, ex percuſſione pectoris a catapulta paullo poſt edidit riſum tumultuoſum, & tertio die periit. Fit riſus quoque propter delirium, crediturque ſignificare mitiorem morbum, denotando a ſanguinis benignitate produci. Et ſane riſus in morbis factus, niſi contingat ex jactatione convulſiva, vel alia incerta agitatione ſpirituum, aliquem motum gaudentis animi denuntiat, ducta ſimilitudine ex riſu ſanorum: qua ratione dixit Hippocrates, ſecurius eſſe delirium cum riſu, quam ſollicitum. Hujuſmodi fuiſſe riſum noſtræ ægrotæ, & indicium ſecurioris ægrotationis apparet ex reſponſis cum lepore datis, & vultus concinnitate, certe humoribus ad eos motus diſpoſitis, quos habemus per ſanitatem ex aliquo jucundo percepto.

Digitized by Google

OBSERVATIO QUINTA.

Tertiana duplex continua cum ſuperventu Pleuritidis alvi fluxu curatæ.

VIrgo nomine Artmanna Patavina annor. 23. temperamenti melancholici Patavii poſtquam octo diebus laboraverat febri tertiana intermittente ſolitis vitæ muniis in intermiſſione non relictis, quum in templo multum incaluiſſet edocendo puellas, domum rediit cum magno capitis dolore, & febri, & poſtridie, ideſt die 12. menſis Maii anni 1710. poſt prandium ad eam accerſitus reperi perſeverantem febrem, capitiſque dolorem. Mane proximo electuario lenitivo, & diacatholico ſumto tres dejectiones coloris cinerei habuit. Eodem tamen die reverſa febris eſt ordine ſervato tertianæ duplicis continuæ, ſed leviore cum capitis dolore. Quum autem initio menſis de more menſtrua non fluxiſſent, die 14. mane detractus ſanguis eſt ex talo: atque licet hora conſueta renovata fuerit acceſſio, nullum fere capitis dolorem comitem habuit. Die 15. mane leviter febrientem inveni abſque ullo prorſus capitis dolore, poſt prandium adauctam febrem, capitiſque dolorem intenſum, qui ſedatus eſt ab injecto clyſtere. Die 16. circa dimidiam noctem incœpit vexari moleſta tuſſi cum ſputis albis craſſiſque; & mane ſub hora 13. dolere ab inferioribus coſtis lateris dextri, atque duabus tribuſve horis adeo increvit dolor, ut vix reſpirare poſſet, effuſis ſputis cruentis. Eductæ ſunt unciæ octo ſanguinis ex pede dextro hora 20. & oblinita pars affecta unguento althææ, oleoque chamomæmelino: quæ doloris remiſſionem attulerunt, interru-

Digitized by Google

ruptam non perpetuam ex intervallis eo recrudeſcente. Die 17. hauſit uncias 4. olei amigdalarum dulcium, dejecitque multa tenuia & bilioſa. Ad compeſcendam vehementem ſitim, juvandamque exſcreationem utebatur decoctione florum papaveris rheados, violarum, ſeminum malvæ, & jujubarum, quam paullatim quidem ſed copioſe bibens non modicum levamen obtinuit. Enimvero ex præterita tertiana, & præſente morbo valde viribus fatigatis, tuſſique inhibente ſomnum præbui poſt cibum *emulſionem* paratam ex ſeminibus melonum, aqua malvæ, grano laudani nepentes, & ſirupo violato; quæ quatuor horarum ſomnum tulit, reliqui ſpatii inquietudinem non compeſcuit; quæ pariter die 18. perſeverans imbecillitatem auxit, ſitimque. Neque porro melius habuit nocte conſecuta ſemper vigil, & cum notabili murmure ventris, indicio imminentis vacuationis, quæ mane diluculo copioſa contigit bilioſi & ſubnigri excrementi quadantenus cocti, deinde bilioſi non omnino liquidi. Proxima nocte iterata eſt *emulſio*, qualis antea præſtita ad fulciendas vires attritas ex præterita vigilia, & repetitis vacuationibus. Die 20. effulſit ſpes propinquæ ſalutis ex manifeſta remiſſione febris, & pœne integra ceſſatione doloris coſtarum, & ſitis. Eodem die, & proximo adhuc multa bilioſa egeſſit, totumque mali fomitem in eis poſitum, uti reſtituta in integrum ſanitas oſtendit.

Febris tertiana intermittens nullis adhibitis medicamentis, neque idonea victus ratione ſervata tranſiit in duplicem continuamque ob inde acervatum humorem bilioſum, qui quum non poſſet regi a natura, atque ad alvum traduci in cauſſa fuit, cur ſanguis ſolitus per uterum amandari retentuſque impetum fecerit in coſtas.

Digitized by Google

Vaſa igitur pleuræ fervido, &ললিolioſo ſanguine repleta eam diſtendentia dolorem pepererunt, difficilem reſpirationem, tuſſim ſputumque cruentum, effluente ſanguine, qua patuit promtior aditus, propterea vera inflammatio ex ſanguine in pleuram effuſo, ſtagnante & collecto exorta non eſt, uti modus ſanationis oſtendit. Poſt primam largam dejectionem non parum decreverunt dolor lateris, tuſſis, & ſputa; & quo plus per alvum excernebatur, omnia circa pectus adlevabantur, tribuſque diebus ſublata ſunt, quibus copioſa excretio peracta fuit; ita, inquam, ſublata ſunt, ut nulla remanſerit tuſſis, nullum ſputum, quaſi nulla præceſſiſſet pectoris affectio contra quam ſolet in doloribus lateris cum inflammatione.

Juxta morem regionis non detraxi huic feminæ ſanguinem prius ex brachio, poſtea ex talo, ſed ex iſto tantummodo. Cur enim ex utraque parte detraherem? Sanguine ex natura non abundabat, jamque dies octo paſſa erat tertianam intermittentem; qua ſane portio ſanguinis abſumta erat. Igitur ſatis eſſe duxi talum cruentare ob defectum ſolito tempore menſtruorum; eodemque reſpectu oborto lateris dolore nullam ſignificationem ad claviculam, ut verbis utar Hippocratis, præbente, ſola ſaphena reſignata fuit. Extractus ſanguis ſolita cruſta opperiebatur, mihique argumento non fuit ad repetendam extractionem contra multorum conſuetudinem. Succeſſit prolixa excrementorum per alvum evacuatio nuntia ſalutis, cui ferendæ neſcio an vires valuiſſent, ſi repetitis venæ inciſionibus magis enervatæ fuiſſent jam a febribus prægreſſis non parum afflictæ. Id velim animadvertant, qui in curatione Pleuritidis nulla facta diſtinctione cauſſarum toties phlebotomum cruentant, totamque
ſpem

ſpem ſalutis collocant in effuſo copioſe ſanguine, quaſi per ſolam venam recluſam pateret aditus naturæ ad morbidum fomitem excludendum, nec repetitis inciſionibus poſſent impediri aliæ vacuationes ſalutares futuræ, vel reſolutio ipſius materiæ adlapſæ ad pleuram. Id alii providerunt, atque inter iſtos doctiſſimus Valleſius, qui *Aphor. 6. ſect.* 2. conſtituit in Pleuritide non dum ſuppurata alvi profluvium eſſe poſſe judicatorium, ducto argumento ab Ophthalmia. Sicut enim, inquit, inflammatio oculorum ventris profluvio tollitur, ita tolli poterit propinquior pleuræ.

OBSERVATIO SEXTA.

Febris Puerperæ ſuſpicioni imminuti puerperii falſo attributa.

UXor Aromatarii Veneti D. Angeli Soroſina annor. circiter 24. temperamenti ſanguinei, & aliquantum melancholici anno 1717. Venetiis ſex menſes, & ultra laboravit tertiana febre, & aliquot menſes Ictericia, cujus depellendæ cauſſa dies plus minus 40. accepit Rhabarbarum, & Patavii, quo venerat ad nativum aerem hauriendum, pluries corticem Peruvianum, ad febrem extinguendam, quæ tamen ſolum tribus diebus ante partum femellæ extincta eſt; & poſtea quatuor diebus a partu reverſa. Lochia poſtquam ad ſextum, vel ſeptimum uſque diem mediocri quantitate fluxere, ſubſtiterunt; cui ceſſationi acceſſitus medicus reditum febris attribuens, quaſi foret uberioris cruentæ purgationis indigentia, venam tali aperiri juſſit; poſtquam nihil utero emittente, & permanentibus cum febre

aliis

Digitized by Google

aliis moleſtis ſymptomatis, decreverat iterandam tali apertionem. Imbecillitas ægrotantis ſuſpicionem Domeſticis conflavit; ad quam purgandam me advocarunt. Febris quotidie invadebat cum frigore tres vel quatuor horas perdurante; ſuccedebat calor non valde moleſtus, ſitis calore moleſtior. Vigiliæ frequentes, modici cibi uſus cum ſtomacho recuſante, tuſſis plerumque ſicca, aliquando tamen cum ſputis ambigue cruentis. Alvus variis temporibus ſolvebatur bilioſa excernens, modo ſcilicet in frigore febris, modo in ſtatu, modo in declinatione. Febris levis remiſſio, intermiſſio nulla. Pulſus frequens, & debilis, eademque in toto corpore debilitas. Omnia demum in ægrotante apparentia vel mala, vel ſuſpecta præter oculum, & linguam. Vividus ille, hæc qualis ſolet eſſe per ſanitatem. Obſtiti igitur venæ inciſioni ab altero medico propoſitæ, opinatus ſummam curationis conſiſtere in febri ſubito compeſcenda cortice Peruviano cum aqua cherefolii propinato, eamque non imminuto puerperio adjudicandam eſſe, ſed cauſſæ, quæ multo tempore ante partum eamdem accenderat. Viſus eſt annuere alter Medicus, ſed poſtridie mane nolens exequi ſtabilita in cauſſa fuit, cur iterum ad ægrotam advocatus accederem; cui jam præparatum corticem porrexi. Subſecutus paroxiſmus nec auctus, nec imminutus fuit. Verum denuo præſtita altera drachma corticis ſequens paroxiſmus frigore caruit, & tres proximos dies intermiſit. Quarto ad veſperum incœpit pulſus micare celerius, & poſt aliquot dies deſivit, atque intra dies 15. nullum morbi veſtigium relictum eſt. Enimvero qui conſtituerat repetendam eſſe venæ ſectionem ex talo, aſſeruit domeſticis brevi futuram eſſe indigentiam exequendi, quod omiſſum erat magis ſui pro-

poſiti

Digitized by Google

poſiti tenax quam rationis explorator, & ipſorum ſenſuum conſultor; quem ſola conſtantia longæ ſanitatis conſecutæ convincere potuit.

Exiſtimo non raro in enixis venam perperam pertundi ob ſuſpicionem imminuti puerperii, multis autumantibus, quicquid incommodi enixæ ſubeunt, inde produci. Rediit diebus quatuor poſt partum febris etiamnum ſtillantibus lochiis mediocri quantitate, quæ tantummodo poſt ſex vel ſeptem dies a partu ſubſtiterunt. Cur quæſo erat reſignanda vena antequam ſubſiſterent? An propter recurſum febris imputandum lochiis infra juſtam quantitatem fluentibus? Veruntamen quænam iſtorum quantitas expectanda erat poſt conſumtionem ſuccorum pluribus menſibus a calore febrili factam, vigiliis & paucitate alimenti deperdita in dies non reparante? Anne in muliere tot de cauſſis extenuata copiam puerperii congeri poſſe putandum eſt, quæ in aliis bene paſtis ſucciſque affluentibus congeritur? Quidquod etiam in enixis ſucco plenis non ſemper eadem quantitas cruentæ excretionis, nec eodem numero dierum peragitur? Quinimmo ipſa mater noſtræ puerperæ ſuos enixa fetus, ut ab eadem acceperam, ſemper parce purgata eſt; quo minus timenda erat in filia exhauſta purgatio, neque abunde ut in aliis, neque ſolito dierum numero facta. Quis ignoret, quanta ſit varietas lunaris purgationis in diverſis feminis, quarum pluribus intra duos vel tres dies illa deſinit, aliquibus ſex vel octo perſeverat? ut minime mirum ſit non exiguam varietatem reperiri inter excretiones ſanguineas a partu. Vidi ego in femina, de qua infra mentionem iterum faciam, poſt ſeptem dies ceſſaſſe lochia abſque notabili offenſa, tametſi ſanguineo temperamento foret, & pleno

cor-

Digitized by Google

corporis habitu, tametſi nihil ſanguinis ex ulla parte detractum fuerit. Quin etiam alvo fluente in puerperis, ſicuti contigit deſcriptæ, quæ toto puerperii manantis tempore plures habuit dejectiones bilioſas, ſine noxa ſolet eſſe uteri parcior expurgatio. Quare Lodovicus Mercatus *lib.* 4. *cap.* 12. ſuperveniente Diarrhœa puerperis totum corpus expurgante, decernit neque hanc inhibendam eſſe, neque uterum reſtrictiorem incitandum, dumtaxat vires cuſtodiendas. Quinimmo obſervat Hippocrates *lib.* 1. *de mor. mulier. num.* 60. ſuppreſſa uteri purgatione poſt partum quandoque ventrem turbari quinto, aut ſeptimo die, & ſi ſeceſſerint graveolentia, & nigra, brevi ſanam fieri. Quid, cedo, ex noſtro captu graveolentia & nigra in turbatione ventris dejecta commune habent cum puerperio retento contentoque in cavitate uteri, ut illis ſuppleatur quod ex utero eductum non eſt? Callet natura ad ſe ſe tuendam agendi modos nobis incognitos, quos ſatis eſt effectu cognoſcere, niſi poſſumus cognitione prævenire.

OBSERVATIO SEPTIMA.

Febris acuta maligna ſtigmatica, ſive peticularis.

DOm. Magdalena Balaſſa annor. 42. temperamenti melancholici fluxionibus capitis obnoxia die 11. menſis Maii anni 1741. incępit manifeſte febricitare, quæ ante aliquot dies paſſa erat ventris murmur cum dolore ex intervallis redeunte, itemque ſtomachi fervorem. Accitus eodem die animadverſione prægreſſi murmuris ventris & doloris præſcripſi proximo mane ſumendum purgans

Digitized by Google

gans ex ſirupi de floribus perſic. unc. 5., quo copioſe purgata fuit; tamen hora 19. crevit febris non parum cum dolore capitis non continuo, ſed frequenter repetitis ictibus affligente. Pulſus tenſus altus frequens, non tamen valde inæqualis, ſpiratio crebra, ſitis ingens. Poſtridie ab habita purgatione prius appoſitis tergo cucurbitulis ſcarificatis detractæ ſunt unciæ ſeptem ſanguinis ex talo, tum ratione præſentis morbi, tum præteritæ lunaris purgationis imminutæ. Peperci brachio contentus ſcarificatione tergi, quo minus viribus officerem poſt heſternam prolixamque purgationem. Eodem die apparuit in urina non nihil rubra enæorema latine ſuſpenſum divulſum lateque ſparſum albicanſque. Die quarto morbi fere eadem hora febris increvit cum capitis dolore, ſiti, & ſtigmatis exiguis late ſparſis. Die quinto, & ſexto eadem omnia. Septimo mane incœpit alvus abunde fluere, & propemodum quinque dies perſeveravit. Excreta fuere varia, cruda, liquida modo magis, modo minus, quæ licet febris remiſſionem non attulerint, tamen capitis dolorem, ut Domeſticis initio fluxus dixeram, abſtulerunt. Die 13. calore acriore reddito ſæpe caput large ſudabat, reliquo corpore tantum leviter madente; in quibus ad diem uſque 17. nulla manifeſta mutatio contigit, quo caloris remiſſa acrimonia ceſſavit mador corporis, non omnino ſudor capitis, præcipue in ſomno. Primis novem diebus frequentes vigiliæ, poſt iſtos minus frequentes, & breviores; quibus ſucceſſit proclivitas tanta ad ſomnum, ut ſæpius dormiret, quam vigilaret cum quodam ſenſuum ſtupore, ut interrogata tarde reſponderet, ſemperque diceret, ſe bene habere, aliquando etiam urina ſponte efflueret. Deſiit ſtupor circa diem 17. non tamen proclivitas in ſo-

Digitized by Google

ſomnum extenſa ultra diem 21.. Quo vero die deſiit ſtupor, etiam febris manifeſte decrevit, 19. ceſſavit.

Urgentibus vigiliis occurri *emulſione* drachmis 2. ſeminum melonum, & 3. ſem. papaveris albi, cum drachmis 2. ſirup. de roſis ſiccis; ſiti vehementi decoctioue radicis & folior. acetoſæ cum nitro purificato, quo confeſtim initio uſus ſum, & donec perſeveravit ſitis; eoque duplici ratione ad ſitim extinguendam, & compeſcendum eum ſanguinis fervorem, unde maculæ erumpunt. Ante cibum exhibebam modicum aquæ totius citri non nihil ſtomachum recreans, iterabamque pro data occaſione, nec aliud fortius cardiacum porrexi. Statim ut vidi alvum copioſe ſolvi, ſperans inde ceſſaturum eſſe capitis dolorem, uti revera contigit, in id tantum animum intendi, ut majorem ſolutionem corruptionemque humorum inhiberem; quo reſpectu bis in die præbui bolos ex coralior. rubror. drach. 1. cum aqua pentaphilli, & ſemel tantum Diacaſtorium Fracaſtorii.

Ultra terminum ſimplicium, exacteque acutorum morborum provecta eſt febris ob copiam materiæ craſſioris indicatam a craſſo latoque ſuſpenſo, idemque opinor principio morbi apparens, fuiſſe præſagium cito futuræ ſolutionis ventris. Adnoto in hac febre valde oppoſita diverſis temporibus accidiſſe, primo frequentes infeſtaſque vigilias, dolorem capitis acutum, fluxum ventris, deinde ſomnum pene continuum, itemque alvi adſtrictionem, vacuitatem ſitis. Ad alvum laxandam ob virium notabilem imbecillitatem perſiſtente febris intenſione ſoli clyſteres, aut ſuppoſitoria adhibita ſunt, facto duorum, vel trium dierum intervallo, quibus figurata & concocta educebantur; & ſolum tribus diebus poſt extinctam febrem, & auctam cibi quantitatem cum mane ali-

Digitized by Google

aliquantùm capite doleret, & permaneret ventris adſtrictio, præbui electuar. lenit. unciam cum diagridi gr. 5. quibus multa dura, & concocta educta ſunt.

Suſpectus erat Domeſticis longus ſomnus aliquantum ſenſum opprimens, pro quo tamen diſcutiendo neque de veſicantibus, neque de aliis adminiculis cogitavi; qui multo magis ſoleo timere in morbis vigilias, quam ſomnum etiam naturali longiorem, & graviorem, præſertim vigiliis ſuccedentem, ſicut evenit noſtræ ægrotæ; cui ſomnum prodeſſe colligebam ab excrementis concoctis per ſuppoſitoria aut clyſteres expulſis. Quum incœperunt exire ſtigmata, vulgo peticulæ, neque juſſi iterari cucurbitulas ſcarificatas, neque ſiccas apponi, neque quicquam intus exhibui ad earum exitum promovendum, quas pravi ſymptomatis aſſociatas exiſtimo indicium bullitus ſanguinis corruptoris, non utilem excretionem. Itaque poſt peractas primis diebus purgationem venæque ſectionem in reliquo febris excurſu nihil magni molitus ſum, quodque poſſet viribus negotium faceſſere. Leviter madore humectato corpore optantibus Domeſticis a me porrigi, quod urgeret opus naturæ, provocaretque ſudorem, præbui aquam florum papaveris Rheados cum pulvere cornu cervi: quare eorum deſiderio quadantenus ſatisfeci, neque naturam, magis quam oportebat, irritavi. Si enim ex ſententia Sanctorii *Aphor.* 24. *de Ponder.* ſalubrior eſt inviſibilis perſpiratio ſine madore, quam cum eodem, cur fortia adhiberem ad eliciendum ſudorem?

Fuit anceps proculdubio hujus acutæ febris exitus, tamen numquam mihi plura momenta, & majora ad timendum, quam ſperandum apparuerunt, ut ejus ſalutem reſpondentibus Domeſticis & amicis ſæpius aſſerui. Alvi

 flu-

Digitized by Google

fluxus ſeptimo tantum die incœpit, abſtulit dolorem capitis, poſt dies quinque omnino ceſſavit, nec inde morbus increvit, aut ejus ſymptomata, immo vigiliæ alvo fluente minus frequentes & longæ, & paullo poſt ſedatæ fuerunt. Quamquam autem ſomnus ſenſus acumen obtuderat, & pluribus diebus decubitus fuerat ſupinus & declivis, tamen ægra ſemper bene ſe habuit ad oblata; nec umquam corpus madens, aut ſpiritus male oluit, nec pulſus notabilis inæqualitas fuit, nec in oculis ſigna funeſta. Quo porro tempore alvus adſtricta fuit, copioſior urina fluxit mediocris ſubſtantiæ, coloris medii inter flavum rubrumque.

Videant Tirones ex deſcripta curatione poſſe febres acutas malignas ſtigmaticaſque curari ſine gemmis, ſine lapide bezoartico, ſimilique ſupellectile, ſine veſicantibus, aliiſque irritamentis: nihilque ſalubrius eſſe in hiſce curandis, quam virium cuſtodiam, naturamque agentem neque impedire, neque dubiis incitare. Vetant autem in divitibus hujuſmodi curationes ipſæ opes non una ex cauſſa in perniciem laborantium verſæ, ſed maxime ex nimia fiducia vulgariter & temere remediis præſtita. Audiant Ægroti a Malebranchio *in Illuſtrat. ad lib.* 3. de inquirenda veritate quales ſint Medici advocandi. Credo igitur conſulendos eſſe Medicos ſapientes, qui temere nihil faciant, qui de remediis ſuis nimium non ſperent, quique ad medicamenta præſcribenda non ſint æquo animo promptiores.

OB-

Digitized by Google

OBSERVATIO OCTAVA.

Febris quartana intermittens contumax Diatriumpiperon curata.

FEmina annor. 50. temperamenti pituitoſi menſe Aprilis anni 1690. Cremonæ me conſuluit de remedio abigendæ quartanæ, qua per diu laborabat, purgationibus, quinquinna, aliiſque medicamentis invicta. Itaque prima regione expurgata, quum a multo tempore abſtinuiſſet remediis, præbui Diatriumpiperon Galeni pondere dimidiæ drachmæ duabus vicibus, nec aliis remediis indiguit, febre perfecte liberata.

Multa excogitata ſunt ab Antiquitate remedia adverſus quartanam, & inter iſta Diatriumpiperum ex triplici genere piperis compoſitum, rariſſime tamen uſurpatum præſertim hiſce temporibus poſt inventum corticem, ut arbitror propter vim ingentem calefaciendi in febricitante metuendam. Neque hercle adhibendum cenſeo niſi ex peculiaribus conditionibus, quales in hac femina concurrerunt, temperamentum valde pituitoſum, frequens ſpuitio inſipidæ pituitæ in ipſa febri, extraque, argumentum primas vias inquinari crudis viſcoſiſque ſuccis. Itaque explorato prius imo ventre, nec ullo invento impedimento non dubitavi in diuturna febri experiri Galeni medicamentum, quod tamen omiſiſſem comperta in ventre aliqua tenſione & duritie. Duabus vicibus ejus dimidiam drachmam præbui, nec alio remedio opus fuit ad penitus extinguendam febrem, hujus ſcilicet fomite correcto, & partim expulſo per copioſiora ſolito ſputamina, attenuatis a calore medicaminis pituitoſis crudiſ-

Digitized by Google

diſque ſuccis, quibus ſcatente ventriculo, etiam ſine quartana idem utiliter porrigitur. Incaluerunt ab accepto fauces, brevique abſque artis præſidio accenſus calor evanuit.

Memoriam ſubit, me in oppido Brignani anno *1696.* rogatum impenſe a Virgine annor. circiter 21. valido temperamento, bonoque corporis habitu prædita laborante quartana, ut citius quam poſſem, febrem obigeram, hoc modo abegiſſe. Poſt tertium paroxiſmum horis quatuor circiter ante acceſſionem præbui drachmam dimidiam radicis aſari non exquiſitæ tritæ in juſculo vituli, quam Fernelius *lib.* 5. *Meth. med. cap.* 13. habet pro tuto remedio etiam in prægnantibus. Rediit par acceſſio, quamvis ſatis copioſa vomitio contigiſſet, ſed poſt duas alias acceſſiones eadem quantitas, eodemque tempore præſtita febrem non redituram extinxit.

SE-

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA.

DE MORBIS CAPITIS.

OBSERVATIO PRIMA.

Dolor vehemens Capitis cum fortiore pulſatione arteriæ in tempore ſiniſtro præſagium gravis variique morbi.

EXcellent. Jacobus Dolchi Cremonenſis, qui Patavii Medicinæ Lauream accepit, eamque cum laude exercuit, temperamenti ſanguinei bilioſique annor. circiter 50. die 14. menſis Octobris anni 1716. poſt toleratum Rheumatiſmum antegreſſa æſtate, & errata plura in victus ratione incidit in gravem capitis dolorem cum vehementi pulſatione in ſiniſtro tempore, afflictione oris ventriculi, & irrita propenſione ad vomendum. Dolor gravis quidem erat, ſed ex intervallis remiſſior, eaſque remiſſiones habebat, quibus poterat fere tot horis dormire, quot ſolebat tempore ſanitatis, ſupplente quiete diei, quod nox moleſta abſtulerat, vel noctis, quod inquies diei. Urina parum recedebat a naturali in remiſſione doloris, in intenſione craſſior & rubicundior. Die 5. crevit dolor capitis, adeo decrevit conſecuta nocte, ut totam dormiverit, deſiverit arteriæ pulſatio. Ceterum nocte diei 6. ſub hora 8. incœpit jactari cum frigiditate crurum; & mane inveni pulſum mutatum & cum indiciis obſcuris febris. Sopor aderat non multum profun-

dus,

Digitized by Google

dus, neque reſiſtens cucurbitulis ſiccis admotis, quibus excitatus non ſemper interrogantibus apte reſpondebat. Veſicantia parti ſuperiori brachii appoſita ſunt. Poſt prandium imminuto ſopore ad ſe ſe redire viſus eſt, etiamque melius habere circa horam primam noctis, quo pacto perſeveravit ad horam uſque 10. noctis: qua perfrigerata ſunt crura, auctuſque ita ſopor, ut mane proximo vocatus oculos aperiret, nihil reſponderet. Advocati igitur ſunt duo ſeniores Medici ad conſultandum, quorum alter viſo ægroto dixit non ſuppetere tempus verbis, ſed ſtatim agendum; aſſenſuque alterius Medici ſumma feſtinatione admotum eſt candens ferrum occipiti, hirudines naribus, diſſecta per ſpinam gallina occipiti, impoſitumque acre ſuppoſitorium, quod unum approbavi, ceterorum tantum ſpectator fui, non conſultor, non approbator; immo aperte dixi conſultius eſſe febris declinationem expectare; qua ſperabam aliam apparituram eſſe morbi faciem cum moderatione tanti pavoris, quem incuſſerant primo intuitu coma, pallida facies, frigidæ carnes, pulſus depreſſus; temperare tamen poterat, ſi attendiſſent, reſpiratio non difficilis, neque aliis ominoſis ſignis reſpondens. Poſt prandium hora 21. ad ægrotum reverſus omnia in melius verſa comperi, pulſum elatum fortemque, faciem rubram, carnes calidas, alvum ter ſolutam evacuatione bilioſi excrementi. Iterum conveni ægrotum hora prima noctis, qua pariter ſupervenit alter Medicus, qui mane in conſilium vocatus fuerat; eodemque tempore ſudabat aliquantum æger, & præter dictas dejectiones alias habuerat ſimilium excrementorum; quas aliquanta coctione non carentes ſalutares judicavi, malas Collega, attribuitque ſolutioni naturæ a morbo victæ, itemque ſudorem; propoſuitque ve-

Digitized by Google

venæ ſectionem e ſalvatela, non animadvertens per eamdem reſolutionem adauctum iri; quod ipſi objeci. Jacta tamen eſt alea, inciſaque vena, a qua ter quaterve ſingultivit, qui etiam ante venæ ſectionem ſingultiverat. Proſecuta eſt natura ea nocte criſim pluribus ſpontaneis vacuationibus, & quo fiebant iſtæ tempore, ſenſim diſcutiebatur ſopor, redibat integritas ſenſuum. Quum autem eadem nocte aſſideret ægroto alter Medicus ejus familiaris, ut erga ſuum amicum officioſus eſſet, paullatim venientem ſalutem accelerandam curavit cucurbitulis ſcarificatis tergo appoſitis, quaſi duabus vacuationibus oppoſitis poſſet opus idem naturæ urgeri. Non deſtitit tamen illa dejectionibus, & mane in totum diſcuſſum ſoporem inveni cum ſenſuum integritate, ſolum ſuperſtite, non tamen frequenti ſingultu, ob quem præſtitis unciis 4. olei amigdalar. dulcium quater dejecit excrementa ferruginea, & ſemel evomuit materiam viridem cum aliqua portione olei. Hora vigeſima ejuſdem diei cum aliis duobus heſternis conſultoribus Medicis ad ægrotum conveni. Magna virium proſtratio: vix ſubmiſſa exilique voce loqui poterat. Cadebat ſub aſpectum ſpecies debilitatis tantæ, ut unus ex Collegio non dubitaverit affirmare, pejus hoc die quam heſterno habere, & circa mediam noctem moriturum, propterea porrigendum ſalem volatilem cornu cervi ad inhibendam ſanguinis coagulationem, quam timebat. Ipſe tamen cum altero collega tam funeſtum præſagium rejeci, nihilque præſtitum eſt præter confectionem hyacintinam cum aqua totius citri, conceſſa facultate utendi vino in cœna more Patavino aquato, & etiam hauſtu vini Cyprii poſt extinctam ſitim, uti fecit; ſicque bene cœnatus ea nocte aliquantum vires refecit. Septem conſecutis

F die-

Digitized by Google

diebus continuavit dejectio materiæ bilioſæ, & non nihil ferrugineæ: interea tamen idonea victus ratione ſemper vires incrementum cœperunt. Octavo die ab affectione ſoporoſa obortus capitis dolor nocte valde crevit, & proximo mane addita eſt afflictio ſtomachi cum incitamento ad vomitum, quem lente venientem concitavi juſculo tepido cum ſirupo acetoſo ſimplici, rejectaque notabili copia bilis flavæ, viridis, & aquoſæ oppido lenita eſt capitis, & ſtomachi afflictio. Poſt quinque dies reverſo dolore capitis, ſed remiſſiore cum magno conatu rejecit humorem inſipidum, poſtque vomitum excrevit liquida bilioſa; eodemque die circa veſperum manifeſte febricitavit. Poſtmodum alvus reſtricta fuit, & talis perſeveravit dies plus minus viginti, quibus pro data occaſione præſtito vel electuario lenitivo, vel tartaro ſolutili pallida bilioſa excreta ſunt. Tamdem alvus cœpit ſponte reſerari, nec alio incitamento indiguit. Porro febris ultimo, quo vomuit die, inchoata ad diem uſque 10. Decembris lenta perſtitit, & ſine moleſtis ſymptomatis, capitis dolore, oris amaritie, vigiliis, dejectione appetitus: neque aliud incommodum toto hoc tempore, quo febricitavit, paſſus eſt, quam calorem acriorem fuſum per univerſum corpus, moleſtamque perfrigerationem, ſi vellet extra lectum tres quatuorve horas manere, quæ tamen intra 10. dies ceſſarunt, ut reparatis viribus potuerit ad ſolita munia redire.

Ad ſtatuendam hujus morbi ſpeciem enarrem oportet breviter, quæ paſſus erat menſe Julii, & Auguſti ejuſdem anni. Angina prius impeditns circa dimidium Julii juſſit ſibi detrahi partitis vicibus uncias 45. ſanguinis. Brevi diſcuſſæ Anginæ ſucceſſit dolor crurum cum valde moleſtis interdum motibus convulſivis; octo dies

per-

permanſit hæc crurum moleſtia abſque febri, quæ deinde accenſa fuit ob vehementem excandeſcentiam; itemque dolores, qui prius ſola crura occupabant, ad totum propemodum corpus extenſi ſunt, impedientes libertatem motus per lectum, circa pectus vero tam violenti fuerunt, ut ſola brevitate letales non fuerint. Itaque poſtridie detractæ ſunt unciæ ſeptem ſanguinis; cujus detrahendi cauſſa injectum brachio vinculum, uti mos eſt, ita ægrotum afflixit, ut bis appoſitum bis ſolvere neceſſe fuerit. Tertio tamen appoſitum ſuſtinuit, ductuſque ſanguis cruſta obducebatur, nullo tamen inde impetrato levamine: quod poſtea attulerunt ſudores poſtridie tam large noctu effuſi, ut quinquies, vel ſexies mutatum induſium fuerit. Tres dies perſeveravit ſudor parcior vigilanti; uberior dormienti: quo finito alvus mota eſt, & quatuor diebus continuis copiam flavi coctique purgamenti egeſſit, ſucceſſitque egeſtioni ceſſatio dolorum in toto corpore præterquam in cruribus. Alvo deinde ad naturalem conſuetudinem redacta, urinæ copioſiores redditæ ſunt, & paullatim crura ſalubrem reliqui corporis ſtatum recuperarunt, ut æger circa finem Auguſti artem ſuam exercere potuerit.

Primam hujus Medici ægrotationem Rheumatiſmum fuiſſe plura demonſtrant, dolor pervellens internodia, muſculos, eorumque membranas, calor acrior in cruribus, in quibus fortior dolor erat, quæ duo in hoc morbi genere, uti notat Riverius, conjungi ſolent; præterea febris exigua, parvi tumores, qui in cruribus brachiiſque interdum excitati brevi evaneſcebant: quod apprime reſpondet ſententiæ Galeni *lib.* 1. *de differ. Febr. cap.* 3. affirmantis in rheumaticis nominatis affectibus ſuperfluum moleſtumque ad carnes protrudi. Hac de cauſſa ligatura

gatura brachii parans venam ad ſectionem dolorem infligebat, nempe vellicando carnes fibraſque humore præter naturam imbutas. Cauſſæ pariter externæ eamdem morbi conditionem teſtantur, quarum præcipue fuerunt immoderatum corporis exercitium calida tempeſtate multum ſudoris eliciens, & hoc ceſſante perfuſio brachiorum, capitiſque valde calentium aqua frigida, cui caput immergebat: quæ cauſſæ obſervatione Sydenhami, aliorumque frequentiores, validioreſque hujus morbi eſſe conſueverunt. Neque porro defuit in ſanguine cruſta ſolita in Rheumatiſmo apparere.

Primus hujus morbi impetus extitit in fauces, deinde in crura, poſtea fere in univerſum corpus. Spontaneæ vacuationes ſudoris, urinæ, & alvi morbo finem imponere viſæ ſunt, non tamen ejuſmodi fuerunt, ut radicitus cauſſam abſtulerint, quæ poſt menſem accenſione ſimilium cauſſarum externarum potuit ægrotationem fortius inſtaurare. Quamquam igitur facies morbi præterita æſtate inchoati diverſa fuit ab conſecuto menſe Octobris, utriuſque cauſſam exiſtimo ejuſdem ſpeciei fuiſſe natam aptam Rheumatiſmum efficere, ejuſque diverſos effectus diverſis ortos temporibus potiſſimum ad diverſitatem partium affectarum referendos. Principio illatus humor in fauces peperit Anginam, poſtea detruſus ad exteriora prius crura vexavit, deinde alias exteriores partes. Superſtite morbido ſeminio intra venas, novoque facto humoris congeſtu ex cauſſarum inſtauratione ad ambitum corporis non fluxit, ſed intra venas cœptus agitari, & fermentari in partes internas irrupit caput, ventriculumque. Quum autem omnia in principio ſint leviora, primis quinque diebus menſe Octobris in renovato morbo gravis quidem interdum fuit capitis dolor, ſed

Digitized by Google

ſed interdum ita remiſſus, ut futuram morbi gravitatem velaverit. Ob afflictionem ſtomachi & debilitatem, quam ſenſerat in morbo æſtatis prætcritæ ex pluries profuſo ſanguine, neque iterationem effuſionis admiſit, neque purgationem, contentus ſolis clyſteribus alvum ſollicitare. Nocte diei ſexti ſub hora 8. cruribus refrigeratis incœpit jactari, initium febris lentæ ſæpe rheumatiſmum comitantis, licet mane non invenerim in pulſu febris manifeſta indicia; eademque nocte humor rheumatiſmi irrorans cerebrum ſoporem induxit, qui poſt horas plus minus decem; quo ſpatio febris inclinavit, ſopor imminutus oppido eſt. Plures febres tertianas cum frigore invadentes, & ſoporem inferentes non ex libris tantum didici, ſed meis obſervationibus repetitis, quæ tamen rheumaticæ non fuerunt. Rara igitur fuit hæc ſpecies rheumatiſmi, vel febris ex genere tertianarum conjuncta cum rheumatiſmo; in quo, uti notat Riverius *cap. 3. de Rheumatiſmo*, ſæpe quidem irritans humor detruditur ad partes externas; interdum tamen in partes internas influit, eaſque male habet: ſicuti contigiſſe reor in noſtro ægroto conſideratione præteriti, conſecutique morbi. Sumſit iſte initium a dolore capitis, & moleſtia ventriculi, vel eadem cauſſa utramque partem obſidente, vel capiti fortius vexato, ventriculo conſentiente. Nocte diei 5. longus ſomnus ſedavit capitis dolorem, motumque concitatiorem pulſantis arteriæ: quod videbatur in bonis habendum eſſe, & mali decrementum portendere, ſed tantummodo mutationis indicium fuit: quæ obtigit oborta febri cum refrigeratione crurum, jactatione corporis, ſopore, & turbatione mentis, nimirum vi motus inteſtini magis calefacto, evecto, & latius diffuſo humore morbido. Obſcura, & exigua fuit febris; quæ incœpit a jactatione cor-

Digitized by Google

corporis, & refrigeratione crurum; eaque inclinante pæne in totum diſcuſſus ſopor eſt, mens reſtituta; permanſitque hæc remiſſio ad horam uſque decimam noctis ſequentis, qua iterum perfrigerata ſunt crura, graviorque ſopor occupavit. Fuit hæc acceſſio ſtatus morbi, in quo cuncta erant ad criſim præparata, & quidem per alvum, ſignificatam pridie murmure ventris notabili, eodemque die tribus vacuationibus bilioſis. Quum igitur criſim ſoleat præcedere magna agitatio humorum, & plura moleſta ſymptomata, itemque comitari, uti notat Galenus *lib. 3. de Criſ. cap. 7.*, mirum non eſt, aſpectum morbi fuiſſe formidoloſum, tum ratione ſuæ conditionis, tum naturæ fortiter conantis ſeparationem noxii ab innoxio, atque ad ventrem devolventis; qui profecto ſeparari nequit, niſi commotus evehatur, ablata temperatione aliorum humorum, quibus aliquantum coercebatur: quare inſtante criſi nocentiores redditi ſucci nova pariunt moleſta accidentia, vetera exaſperant brevi permanſura.

Non nulla utilia omiſſa ſunt in hac curatione, plura inutilia noxiave peracta. Utiliter præbitum fuiſſet in declinatione primæ acceſſionis ſoporiferæ catharticum; quod in proximum mane dilatum ſumi nequivit. Natura eo die murmure notabili ventris declaraverat humores ferri ad ventrem; adjutaque cathartico partem fomitis venturæ acceſſionis expuliſſet. Hippocrates tamen exſpectaſſet opus naturæ indicatum, non præveniſſet. An non etiam ex venæ ſectione facta oborto dolore capitis cum pulſatione arteriæ non tenue levamen ſperandum erat? Quam æger recuſavit pœnitentia ſanguinis liberalius in anteacto morbo emiſſi. Ceterum in ſecunda acceſſione ſoporifera, cujus principium, & incrementum valde extenſa fuerunt, qua utilitate capiti tot irritamenta ad-

Digitized by Google

adhibita ſunt? Cauſſa nempe febris, & ſoporis aliorumque accidentium ſuſa per univerſos humores erat, ideoque moleſta ſymptomata declinante febri repetitæ copioſæ bilioſæque dejectiones abſtulerunt, nihilque ad iſtas concitandas, promovendaſve, quæ capiti admota ſunt vigente febre, contulerunt. Sydenhamus in Epiſtola 1. ad Robertum Brady animadvertit, in quorumdam annorum conſtitutione febribus intermittentibus quandoque ſupervenisse inſigne ſymptoma, quarum ſcilicet acceſſiones invadebant non cum frigore, & horrore, ſed æger eiſdem plane ſymptomatis tentabatur, non ſecus ac ſi vera Apoplexia laboraret, quæ tamen nihil aliud erat, quam ipſa febris caput impetens. Decernit igitur in harum febrium curatione abſtinendum eſſe a remediis ſolitis in Apoplexia uſurpari, eaque obſervaſſe, gravi detrimento eſſe; propterea quieſcere oportere, donec paroxiſmus ſponte ſua evanuerit; & ſtatim porrigendum corticem. Hæc tamen medela, quantum attinet ad corticem, certe noſtro ægroto non conveniebat, cui febricitanti ſopor quaſi Apoplexiæ ſupervenit ex rheumatiſmo conjunčto cum febri, ingentique humorum copia ſpontaneis prolixiſque egeſtionibus ablata: quas tantus virium languor conſecutus non eſſet, niſi quo tempore alvus large ſolvi incœperat, bis ſanguis eductus eſſet, primo ex manu, poſtea ex tergi ſcarificatione contra Hippocratem clamantem, natura molita, vel moliente judicationem omni prorſus irritamento parcendum eſſe. Verum quis ſatis exprobret Medicinæ corruptelam, & receſſum ab Hippocratica, & Rationali?

Digitized by Google

OBSERVATIO SECUNDA.

Rara Epilepſiæ ſpecies aliis morbis comitata.

NObilis Virgo Patavina D. Sarra Bellini anno. 5. ætatis ſuæ incœpit pati ulcus cruris dextri, quod multa ſanie ſcatens perduravit ad annum uſque 19. quo ſupervenit Eriſipelas cruri eidem, & cum eriſipelate etiam ulcus ſanatum eſt: ex quo tempore cœpit incommodam valetudinem ſubire, modo febres inordinatas, modo dolorem capitis, identidem vigilias, ingentem cibi averſationem cum fere integra pluribus diebus abſtinentia, reſtrictionem alvi, lunaris curſus imminutionem, aliquando ſuppreſſionem, nec raro morbum comitialem; cui proluſit ante ulceris ſanationem facies ſubito expalleſcens ſine cauſſa manifeſta cum brevi vocis interceptione. Anno tertio poſt tam moleſtum corporis ſtatum, & initam ab alio Medico curationem morbi anno 1730. mihi commiſſa fuit; cujus variis incurrentibus affectionibus, quantum potui, conſului; eaſque ſæpe mitigavi, aut ad paucos dies compeſcui. Recurrebant enim, & aliquando adeo intenſæ, ut non ſemel ad extremum conflictum redacta videretur. Difficiliores ad cohibendum erant comitiales acceſſiones, quæ non uno eodemque modo invadebant, nunc brachia & crura, totumque truncum concutientes, nunc ſolum pectus ita arctantes, ut tantummodo in lecto ſedens poſſet ſpiritum ducere caput deprimendo, & viciſſim attollendo, non raro hac agitatione diem integrum perſeverante, interdum quoque duos, nil proficientibus ſeminibus pæoniæ, ſpiritu ſuccini rectificato, aqua theriacali, aliiſque hujus generis antidotis.

Uni-

Digitized by Google

Unicum præſidium erat ad contrahendum aſſultum pectus coarctantem, permittentibus viribus, venæ apertio ex brachio, & poſtridie ex talo bis intra menſem aliquando iterata, præſertim tribus annis ante 1739., quibus tempore lunaris purgamenti vix paucæ ſtillæ prodibant. Si tantum vena pedis pertuſa fuiſſet, minus anguſtiæ pectoris laxabantur, quam ex utraque parte ſanguine emiſſo. Novem abhinc annis incœpit tam moleſta valetudo, ſenſimque ad incrementum provecta, ut ſex annos cogatur perpetuo jacere: quippe conanti extra lectum ſedere, ſtatim viæ ſpiritus intolerabiliter conſtringuntur.

Pluribns difficilibus morbis, & aliquibus raris viros obnoxios eſſe quis ignoret, quibus ipſæ feminæ ſubjiciuntur, præterea aliis permultis, atque, ut ait Hippocrates, difficillimis ad intelligendum? quibus tamen idemtidem longiore tempore reſiſtunt, tolerantque frequentius repetitas ſanguinis emiſſiones, viris certe impatibiles. Parum comedens noſtra ægrota, neque noctium quiete pro indigentia refecta, nihilo tamen ſecius ſufficit tot ſanguinis detractionibus ferendis, quibus contrahitur tempus acceſſionis, non aufertur acceſſio, neque ita ſubigitur cauſſa, ut tardius mitiusve in actionem ſit denuo exitura. At quare per ſanguinis eductionem fit contractio moleſtiæ? Nimirum inde multi ſpiritus diſſipantur, ſanguis rareſcit, laxantur fibræ, ſicque citius morbida vis enervatur. Pluries contradixi tam frequenti ſanguinis effuſioni in tanta cibi tenuitate, cauſſatus inde ſolum fugax levamen obtineri, cauſſam morbi nec tolli, nec corrigi; interea præparari corpus ad hydropem. Temperatum eſt aliquoties meo ſuaſu ab ſcalpello, ſed ſæpe acceſito Chirurgo vel ſine meo aſſenſu uſurpatum eſt. Itaque duos vel tres annos præeunte pallore faciei, quæ prius rubi-

Digitized by Google

cunda erat, tandem deſinente anno 1738. intumuerunt manus, crura, & pedes, ſed magis venter cum anguſtia pectoris. Obſtiti incremento hydropis auxiliis, quæ ferre poterat palatum, gummi ammoniaco cum ſpermate ceti, ſuperaddito hauſtu juſculi radice petroſellini medicati, quæ tamen paucis diebus ſumſit medicaminum faſtidioſa. Venter, antea qui ſæpe aſtrictus erat, quotidie pro indigentia laxabatur, atque detumuerunt inflatæ partes præter abdomen, quod etiam in præſens tumet, hoc eſt ab anno 1738. ad menſem uſque Martii anni 1742., neque toto hoc ſpatio provectus tumor eſt, neque aliæ partes intumuerunt, licet ſolo cathartico ex longis intervallis utatur parato ex unciis tribus cum dimidia ſirupi de floribus perſicorum, & uncia dimidia vel ſalis Anglici, vel tartari ſolutilis.

OBSERVATIO TERTIA.

Epilepſia cum imperfecta Paralyſi.

PErilluſtris Joanna Lupi annorum 60. temperamenti melancholici, gracilioris corporis habitus correpta eſt die 30. menſis Maii anni 1740. aſſultu comitiali, quem antea numquam paſſa erat cum concuſſione totius corporis, oriſque diſtortione, qui creditus eſt a Medico, ut mihi dixerunt Domeſtici, Apoplexia. Juſſit ille detrahi ſanguinem quantitate 18. unciarum partim ex brachio, partim ex talo, atque acceſſio intra tres horæ quadrantes deſiit. Poſt dies 7. hora 21. renovata acceſſione Domeſtici opinati præteritam affectionem ictum Apoplexiæ fuiſſe, itemque præſentem eſſe, me advocatum miſerunt. Aſpectus tamen ægrotæ clare oſtendit Epilepſiam eſſe,

Digitized by Google

eſſe, non Apoplexiam, ac neſcio unde manaverit opinio de Apoplexia, niſi forſitan ex oris diſtortione, quaſi hæc non poſſet ex Epilepſia contingere. Facies rubebat, circa os aliquantum erat ſpumoſæ ſalivæ, toto corpore concutiebatur jacens in lecto ſupra partem ſiniſtram, cum impedimento actionum principum. Chirurgus, qui ſanguinem detraxerat in anteacto paroxiſmo juſſu Medici, ante meum adventum, nullo jubente, quinque uncias ſanguinis e pede duxit, nulla tamen affectionis imminutione. Itaque juſſi imponi acre ſuppoſitorium ex hyera & ſale gemmæ, inungi nares oleo ſuccini rectificato, deinde admoveri calens acetum cum ruta, fricari brachium dexterum, quum alterum non poſſet; ſed nihil magis profuit quam hauſtus aquæ antiepilepticæ Langii, quo aperuit oculos, meque cognovit, uti dixit diſcuſſa acceſſione, quæ tamen decreſcendo horas 4. perrexit. Remanſit poſt eam imbecillitas tanta in toto corpore, ut jacere coacta fuerit, brachio ſiniſtro, ſupra quod decubuerat, motu privato, non tamen manu, ejuſque digitis. Mane proximo exhibui pilul. de ſuccino Cratonis, & 4. ſequentibus diebus alvus ſatis laxa fuit. Interdum tamen quædam levia tentamenta Epilepſiæ incurrebant, ſed uno alterove cochleari aquæ Langii reprimebantur. Ex intervallis etiam porrigebatur bolus ex triphera magna ſ. op., vel ex confectione hyacint. ſ. odor. cum aliquot granis caſtorii, & ſeminum pæoniæ maris. Die 27. Junii nova recurrit acceſſio, ſed multo brevior leviorque aliis duabus præteritis. Hoc ſpatio, ſi aliquando alvus reſtrictior foret, ſatis laxabatur granis 10. vel 12. pilul. capitalium Paracelſi. Initio Julii incidit in ſoporem non valde gravem, nec impedientem motum brachii ſani, qui plures horas perduravit: facilis erat reſpiratio, æqualis

 pul-

pulſus, & qualis ante ſoporem, cui diſcutiendo repetitæ cucurbitulæ ſiccæ valuerunt.

Scatebat hæc femina ſero acri, quod tranſmiſſum ad crus ſiniſtrum herpetem miliarem produxerat, cujus materiæ avertendæ gratia ante duos annos coxæ cauterium inuſtum fuerat. Aliquot menſibus ante Caducum madefacta parte offenſa aqua plantaginis admiſta thutiæ imminutum eſt, quod ex ea effluebat, idque par eſt opinari, auxiſſe occaſionem Comitialis in corpore ad eum præparato, congeſta majori copia ſeri acris, & maligni, ſeparatique in partibus ſuperioribus, & nobilioribus. Porro acriore ſero diſſipato, vel correcto, alia portio mitioris in cerebrum lapſa, leviterque obſtruens ſoporem non fortem induxit. Hoc & prægreſſis ictibus caduci ita debilitatum caput eſt, ita perturbatus motus ſpirituum, ut ex intervallis falſa imaginaretur. Poſt dies 30. ab ſecunda acceſſione Caduci ita toto corpore incaluit, ut leviter febrire videretur; exinde tamen nulla incurrit capitis perturbatio, quæ reditum morbi minaretur, menſque conſtantior fuit.

Non unum in hoc eventu animadverſione dignum eſt, ſed illud præcipue expendendum ſuſcepi, utrum in acceſſione comitiali liceat venam aperire ad eam diſcutiendam; capta occaſione ex apertione, quæ in utraque acceſſione facta fuit. Si conſulimus auctores, admodum pauci occurrent, qui in eum finem ſanguinem emiſerint, plurimi tamen, qui cucurbitulis ſiccis, frictionibus, ligaturis, acribus odoribus, ſuppoſitoriis, ſimilibuſque materiam irritantem avertere, vel reſolvere conantur. Aetius *ſerm. 6. cap.* 14. multa proponens ad excitandos ægrotos, nullam mentionem facit de venæ ſectione, etiam quando longior acceſſio eſt. Petrus Foreſtus *lib.* 10. *de*

Ce-

Digitized by Google

Cerebri morbis Obſervat. 48. in ſcholio memorat quidem de duobus Medicis antiquis, qui in paroxiſmo digitos pedum lancinantes ſanguinem extrahebant: tamen ſubdit nullum hodie Medicorum in paroxiſmo ſanguinem effundere. Vvilliſius quoque inter Recentiores de morbis convulſivis *cap.* 3. affirmat raram admodum incidere occaſionem venæ tundendæ. Ceterum videamus quid præſtiterit venæ ſectio in noſtra ægrota. Initio ſecundæ aggreſſionis comitialis unciæ 5. ſanguinis detractæ fuerunt ex talo, a quibus nullum prorſus levaminis indicium apparuit, ſicuti ſtatim apparuit a potione aquæ Langii. Et hercle, quùm materia extra venas in Cerebri meditullio, alterave parte contineatur, quum hæc materia, ſi ſtemus ſententia Fernelii, ſit venenum intus genitum, ducta quoque ſimilitudine ex ictu Scorpii ſimilem morbum inferente, quid conferre poteſt venæ ſectio ad id revellendum, vel derivandum, vel corrigendum? Hac ſane animadverſione ſola alexipharmaca, cujuſmodi eſt aqua Langii, eidem directim opponuntur: neque alia occaſione probabiliore in paroxiſmo ſanguis mittendus videtur, niſi ejuſdem affluentia morbum faciente, vel ſuppreſſione lunaris purgationis, aut alius ſanguinis vacuationis, fruſtraque alia remedia tentata forent, meo judicio prius tentanda.

In ſecundo ictu comitiali brachium ſiniſtrum, ſupra quod decumbebat, nec agitabatur, uti dexterum, motum amiſit, vel facta levi obſtructione impediente ſolitum ſpirituum influxum, vel naturali fibrarum tenſione perverſa. Fuit hæc imperfecta paralyſis ſolum motum auferens; interdum tamen ſupervenit perfecta, ablato ſenſu motuque, de qua non unum exſtat exemplum: quinimmo Aretæus *lib.* 1. *cap.* 4. de diuturnis morbis adnotat

tat

Digitized by Google

tat, hoc morbo etiam abeunte aliquos deformes effici, aut manum inutilem reddi, aut faciem torqueri, aut ſenſum aliquem prorſus auferri. Forſitan igitur amiſſio motus in brachio indicium fuit abeuntis morbi; cujus dies 44. nulla gravis acceſſio contigit, ſola levia initia citiſſime diſcuſſa comparuerunt. Ceterum etiam non recedente morbo, non raro alii graves producuntur, ſi, ut obſervat Vvilliſius, frequentes ſint, & cum augmento ſymptomatum recurſus. Quod autem in aliis frequentia graviorum acceſſionum parere ſolet, peperit in noſtra ægrota ſecundæ longitudo, cui pariter tribuenda eſt magna totius corporis infirmitas nervis, & muſculis debilitatis: quare in decurſu morbi urinæ incontinentia orta eſt; atque ex longo ſupino decubitu partes circa os ſacrum, nateſque denigratæ ſunt. Decem dies ante obitum invaluit calor febrilis cum magna oris ſiccitate, & accedens alvi fluxus vitæ, pœniſque finem impoſuit.

OBSERVATIO QUARTA.

Melancholia in viro Litterato.

EXcellentiſs. D. Antonius Vulpius de humanioribus Litteris egregie meritus, earumque in præſens in Academia Patavina magna cum laude Profeſſor temperamento calido humidoque, bono corporis habitu, qui duabus vicibus plurium annorum intervallo affectione melancholica impeditus fuerat, annum agens 47. menſe Martii anni 1733. gravius eadem laboravit. Summa affectionis poſita erat in vigiliis frequentibus, moleſtiſque imaginationibus, quas impedire, quo minus obtruderentur, non poterat, obtruſaſque depellere. Hinc cauſſa

in-

Digitized by Google

inquietis propemodum continuæ, modo tamen majoris, modo minoris, & aliquando acerbioris iræ ex irrito conatu inhibendi, arcendique infeſtas imaginationes. Numquam tamen ita mente jactatus fuit, ut falſas imagines objectas pro veris haberet. Quum prima vice in hunc affectum incidit, me quodam die ejus Pater ad filium ægrotum adduxit, quem vidi in lecto jacentem, lugentemque; cognitaque curationis ratione ab altero Medico obitæ, mea ſententia fuit, ab omnibus remediis abſtinendum eſſe, nihilque ſalubrius ſupereſſe, quam Patria relicta varium iter facere. Arripuit conſilium Pater, ſtatimque ac tempeſtas permiſit, filium amico ſuo ad iter faciendum commiſit, atque poſt duos circiter menſes in Patriam ſanus reverſus eſt. Poſt aliquot annos recidit in eamdem affectionem, ſed leviorem, ſuperatamque abſque ſanguinis diſpendio, aliiſque magni momenti remediis. Deinde publicus Profeſſor Philoſophiæ creatus acrius in novam Provinciam incumbens præteriti morbi fomitem excitavit, auxitque. Memor igitur præteritorum per eadem in curando veſtigia eundum eſſe cenſui, parcendo venis, & laborioſæ medicationi, iterque aliquod ſuſcipiendum; quod tamen tempeſtas, aliaque prohibuerunt. Itaque mea ſententia de inſtituenda medicatione Domeſticis ſignificata, eam auſpicatus ſum ex intervallis præbito modico caſſiæ, præterea nihil magni molitus; nec animum induxeram venam incidere, cui parum fidebam. Enimvero gliſcente affectu habita eſt conſultatio cum doctiſſimo & celebratiſſimo Practicæ Profeſſore Collega Johanne Baptiſta Mazini, in qua potiſſimum actum eſt de ſanguine mittendo, deliberatumque mittendum eſſe; antea tamen memoravi praxim Galeni, qui feriens venam in melancholicis, ſtatim eam obturat, niſi

videt

Digitized by Google

videt exeuntem ſanguinem craſſum eſſe, nigrumque. Ductus igitur eſt ſanguis ex brachio, qui neque nigricans, neque craſſus apparuit, ut ante venæ vulnus animo præſumſeram ob molles laborantis carnes, albidiorem colorem, glabrum pectus, & hypochondria. Verum enimvero etiam proximo die, ita hortante Collega, ex pede detractus ſanguis eſt; ſed neutra detractio quicquam profuit, perrexitque affectio ex intervallis gravior. Hiſce præmiſſis curationem proſecutus ſum ſero lactis caprini cum purgato nitro, quod fere toto ægrotationis tempore continuavit, ſed primis duobus menſibus cum majore levamine, inde alvo laxata, & urina copioſiore reddita. Moleſtis vigiliis externis interniſque occurri, aliquando *emulſionibus* ex ſeminibus papaveris albi, aliquando *conſerva* florum roſarum cum paucis guttis laudani liquidi, quæ licet interdum profuerit, ſæpius tamen optato effectu deſtituta in reliquo ægrotationis curriculo relictafuit. Menſam inſtruebant carnes molles, elixæ potius quam aſſæ, pulmenta ex endivia, & lactuca, plurimum potus erat acqua pura, modicum etiam vini, ſi optaretur, conceſſi. Præ ceteris perparcam cœnam injunxi, ut minus in vigiliis ſupereſſet corrumpendum, quæ a cibo ut in ſanis non ſedabantur. Major pars noctis plerumque inſomnis erat, interdum tota. Si tamen longior ſomnus obreperet, quod adnotatu dignum eſt, expergiſcebatur paratior ad majorem perturbationem. Sub fine Aprilis habita conſultatione cum indicato Collega, & Jacobo Cicognini primario, & celeberrimo Theoriæ Profeſſore, conſtitutum fuit, iterandam eſſe venæ ſectionem, & præterea uſurpandum balneum aquæ dulcis; quod in uſum vocatum, parum idoneo tempore, brevi omiſſum eſt, nempe multam afferens moleſtiam, utilitatem nullam.

Item

Digitized by Google

Item a phlebotomo abſtinui, quod in Collegio non diſſimulaveram mihi ſuſpectum eſſe, nec adhibendum, niſi efficacior ejuſdem indicatio oblata foret. In decurſu morbi alvus, quæ primis menſibus ſero lactis laxa ſervabatur, reſtrictior reddita præbuit occaſionem ſollicitandæ clyſteribus, levibuſve purgantibus. Quum autem quereretur de magna ventris repletione, porrectum aliquanto fortius catharticum copioſam tulit evacuationem, levamen nullum. Quare in reliquo curationis ſpatio ſemper uſus ſum floribus caſſiæ, ſero lactis caprini cum tartaro ſolutili, hiſque rarius etiam, quam fieri potuit, quolibet fortiore purgante abdicato. Tribus menſibus ab inchoata ægritudine quum valde dejectus eſſet cibi appetitus, incœpit corpus extenuari, & duobus plus minus menſibus extenuatio perſeveravit, aucta exiguitate cibi, vigiliis, animi mentiſque inquieto motu. Quum autem ſummam curationem poſitam crederem in aliquo obito itinere, & mutatione cæli; idque exſequi multa non ſinerent, auctor fui, ut invaleſcente æſtate apriciorem domum habitandam, durante morbo, compararet, eamque, in qua & noctu vis caloris minus ſomno obeſſet, & interdiu poſſet uti aliqua amœna ambulatione per loca virentia. Facta domus mutatione opportuna ſubito quidem non attulit deſideratum levamentum, tamen poſt menſem cœpit decreſcere moleſtia mentis, inquies vigiliarum, augeri appetitus, ut ſub fine æſtatis in propriam domum ſe contulerit, deinde ſenſim morbum in totum ſuperaverit. Tribus poſtea menſibus a laboribus ſtudii vacans, ut opus erat, integris viribus mentis, animique tranquilli menſe Martii ſuum valuit munus in Academia numeris omnibus fungi.

Variæ ſunt ſententiæ de ſanguine ducendo in Melancho-

Digitized by Google

cholia ex ejuſdem cauſſa diverſa, quam Veteres ante inventum circuitionis ſanguinis duplicem ſtatuerunt, aliam coercitam in vaſis cerebri capitiſque, alteram fuſam per univerſa vaſa, & utramque eſſe ſanguinem melancholicum, vel omnia, vel pauciora, & particularia vaſa occupantem. His poſitis non dubitat Galenus ſanguinem effundere, ſi conjicit, eum univerſe melancholicum eſſe, non effundit, ſi ſolus ſanguis in vaſis capitis contentus in morbi cauſſa ſit; Rhaſes autem hac etiam ſola, & particulari cauſſa morbi poſita venam aperit. Porro hanc cauſſæ diſtinctionem in particularem & generalem tollit ſanguinis perpetuus per omnia vaſa circumactus a paucis rejectus: ideoque hoc admiſſo, nec interrupto, ſi cauſſa morbi vitium ſanguinis eſt, toti commune ſit oportet. At noſtri ægroti totusne ſanguis vitioſus erat, & melancholicus? Effluenti ex recluſa vena defuit craſſities aterque color, ideoque ſententia Galeni, & multorum defuerunt indicia totius ſanguinis melancholici. Alii tamen aliter ſentiunt, non quidem de craſſitudine, quam inter notas melancholici ſanguinis reponunt, ſed de colore atro, affirmante Valleſio *lib. 6. Epid. ſect. 2.* ſanguinem melancholicis eſſe ſolere perrubrum, ſi aliam nullam habeat corruptionem, & præterea craſſum & ichoroſum, hoc eſt, redundantem acribus ichoribus. At in ſanguine Vulpii nulla fuit ex hiſce notis, non craſſities, non color niger, aut valde ruber. An igitur tota cauſſa morbi in capite continebatur? Ex longa ſane meditatione convocante copiam ſpirituum ad caput, & agitante nequit fieri, quin iſtud debilitetur, laxiores fibræ meatuſque evadant, proclivius recepturi impetum turbatorum humorum; tamen perturbationis cauſſam in ſolo capite concluſam non fuiſſe autumo, ſed late per vaſa diffuſam. Parum

Digitized by Google

rum autem propendi ad ſanguinis extractionem, quam in prima ejuſdem affectionis aggreſſione intellexeram nihil profuiſſe, nec profuturam indicabat vitæ ratio impenſe deditæ litterario labori: quo aſſidue exercitis Bernardinus Ramazini in diſſertatione *de Litterat. morb.* aſſeverat, ſibi experientia compertum eſſe, vel parcam ſanguinis miſſionem nocere. Porro legimus in vita Petri Gaſſendi Philoſophi celeberrimi, atque inter litterarias curas ſollicitam vitam degentis ob pluries repetitam phlebotomiam periiſſe. Valleſius quoque animadvertit, utiliores evacuationes in melancholicis eſſe, quæ fiunt per alvum & urinam; multoque verius id eſſe oportet in iis, qui melancholiam contraxerunt ex continuo intentoque ſtudio litterarum, quibus Vulpius magnam diei partem, nec modicam noctis impendebat. Si vita ſedentaria abſque ſollicitudine mentis multa congerit excrementa, eorum expeditam ſecretionem retardans, debilitanſque, atque expulſionem imminuens per manifeſtas occultaſque vias; quanto plura congeret, ſi adſit mentis contentio? Huc adde, Vulpium per ſanitatem conſueviſſe uti multo cibo, qui longa quiete corporis, motuque ſollicito mentis difficilius ſubigi potuit, vertique in benignum ſuccum. Hac ratione parta congeſtio exotica diverſos morbos parere apta eſt; tamen in viro litterato caput afflixit ex peculiari ejuſdem præparatione ob toties repetitos ictus ſpirituum in diuturna intentaque meditatione. Quare ſalus ſperari non poterat, niſi reſolutis incongruis particulis quoquoverſus fuſis, & ſanguinis mixtionem naturalem, motumque inteſtinum turbantibus, & hac turbatione, ut loquar cum Hippocrate, prudentiam evertentibus. Contulerunt ad eas diſſipandas blanda laxantia intus ſumta, injectave, & præſertim ſerum lactis caprini cum ni-

tro purificato, quod primis menſibus leniter dejectiones promovebat, ultimis urinam. Profuit etiam in morbo multum inclinato clyſter ex unciis decem olei ſeminum lini propoſitus ab eruditiſſimo Collega Jacobo Cicognini, qui diu retentus moram uberiore excretione compenſabat. Præ ceteris tamen adjumentum tulit ipſa natura conſcia curationis modi a Medico ignorati. Circa dimidium morbi curriculum, ita dejectum eſt cibi deſiderium, ut parum cibi ſumens multum extenuaretur, & uxor amantiſſima ſalutem deſponderet: quam tamen bono animo eſſe juſſi, aſſeverans, cibi parſimonia ſterni viam ad ſalutem; quæ mihi videbatur ſperari non poſſe, niſi omnium humorum ſtatu mutato, conſumtiſque ſuperfluis etiam in partibus ſolidis; idque futurum opinabar tenui diæta injuncta a natura per dejectionem appetitus ſemper ſuæ conſervationi attenta, ignotiſque modis velificante. Neque ſane aliter contigit, atque animo præſenſeram, & præſumendi, ſpeique ſuſtinendæ alia mihi argumenta obverſabantur, ingenitum temperamentum calidum humidumque laborantis, molles carnes, color albidior cutis, depile pectus, & hypochondria, eademque mollia; pulſuſque, quem toto ægrotationis tempore numquam durum tenſumque perceperam. Hiſce igitur fultus indiciis pluries & a pluribus interrogatus de futuro exitu morbi, ſalutarem nuntiavi, nec temere nuntiaſſe oſtendit eventus tam felix, ut præteritam calamitatem mens quietior robuſtiorque ad ſuum munus exſequendum compenſaverit. Tulit renovationem corporis prægreſſa extenuatio, ipſaque agitatio mentis majorem tranquillitatem, qua poſſet nobiliſſimam provinciam, quam ei fata deſtinaverant, obire. Verum ſicuti pleræque res humanæ inconſtantes ſunt; item fuit recuperata ſalus: quæ quidem

dem

Digitized by Google

dem ſine ulla intermiſſione perſtitit ab anno 1734 ad menſem uſque Junii 1739, quo correptus fuit gravedine cum febri, tuſſi valde moleſta, vigiliis, quibus repetitis pilulis de cynogloſſa, laxantibus alvum, linctibus, & ſemel ſanguine miſſo diebus circiter 20. redemptus fuit. Veruntamen hæc affectio nuntia fuit recurſuræ melancholiæ, quæ poſt dimidium Julium incœpit primo levior, ut ſolent eſſe principia, deinde gravior ob frequentiores longioreſque vigilias, irruentes moleſtas cogitationes, animique inquietem. Detractus ſemel ſanguis eſt ex brachio, colore habituque, qualis per ſanitatem. Reliquum curationis fuit alvi reſtrictæ frequenter clyſteribus, nonumquam levibus purgantibus ſolutio, idonea victus ratio cum abſtinentia vini. Non ſemel ſumſit duo grana laudani, non ſemel tria, quibus etiam additum dimidium eſt; ſed cum mane vomitio moleſta contigerit, ſoporiferum iteratum non fuit. Perſeveravit affectio reliquo æſtatis ſpatio, toto autumno, & hieme, cujus longitudo, & vehementia frigoris moleſta ſymptomata adauxit, minuit ver, non abſtulit. Ineunte Majo inciſa eſt vena tali potius ad ſedandas querelas amicorum, quaſi præcipuum remedium non ducto ſanguine omiſſum foret, quam ſpe levaminis, quod nullum, uti timebam, reportatum eſt; itemque propinavi ſerum lactis caprini cum nitro purificato, quod primis diebus non movit alvum, movit in progreſſu, atque alterius laxantis indigentiam ademit. Quum autem aptius auxilium adverſus hunc morbum a vagatione ſperarem, meo hortatu menſe Junii hanc inivit, & patria relicta Veronam perrexit, ubi tribus menſibus commoratus inter blanda amicorum colloquia, & allectationes imaginationes incommodas abegit, priſtinam hilaritatem recuperavit,

Digitized by Google

ravit, alacerque initio Septembris in Patriam redivit, mente compoſita ad ſuum munus egregie exſequendum.

OBSERVATIO QUINTA.

Subita, & magna virium imbecillitas cum levi vertigine conjuncta.

Nobilis Lucretia de Campo S. Petri Patavina annor. plus min. 65., temperamenti ſanguinei, & aliquantum pituitoſi, quæ menſe Februarii anni 1734. levem ictum Apoplexiæ paſſa erat, ſuperſtite aliquo linguæ impedimento, & crurum imbecillitate, anno 1736. menſe Septembris incidit repente in corporis totius debilitatem, ut ſtare non poſſet, leviter vertiginoſa. Metu præteritæ affectionis accerſitus mandavi venæ ſectionem brachii in latere robuſtiore, nullam ex talo, neque eodem die, neque poſtero, rationem ſecutus, non conſuetudinem regionis. Neceſſe tamen fuit admonere Domeſticos, mihi nullam apparere indigentiam tundendæ venæ tali, nec prætermiſſa quicquam mali timendum; idque mihi admonere neceſſarium fuit ob vulgatum morem Patavii, in feminis poſt detractionem ſanguinis ex ſuperioribus partibus, detrahendi ex inferioribus, non alia de cauſſa niſi ſexus feminei etiam in ea ætate, in qua ex naturæ inſtituto lunaris purgatio deſivit; quicquid ratio in contrarium clamet, moſque aliarum plurium regionum. Poſt effuſum ſanguinem nihil aliud præbui præter confectionem hyacintinam cum aliquot granis caſtorii, nec alia præbendi occaſio fuit intra tres dies priſtino valetudinis ſtatu recuperato.

Ea-

Digitized by Google

Eadem Matrona die 29. Menſis Septembris anni 1739. mane facta eſt impotens linguæ; eademque hora ad eam vocatus inveni in lecto ſedentem inclinato capite, rubente facie cum linguæ impedimento, labii modica contractione, nulla tamen principum actionum leſione. Clamabant Domeſtici ſanguinem, quibus diſſenſus non ſum, quamvis reputarem, utiliorem futuram eſſe purgationem ob redundantiam excrementorum ex erratis in victus ratione, vita ſedentaria, viſcerumque torpore. Itaque injectus ſtatim clyſter eſt expurgans hyera, & melle roſato ſolutivo, copioſaque purgamina exportavit. Debito poſtea tempore interjecto inciſa vena brachii ſtatim cum impetu proſiluit ſanguis, moxque ceſſavit; & licet Chirurgus venas proximas fortiter comprimeret, guttatim tantum fluebat. Quare ut deſineret juſſi, paucis unciis ſanguinis detractis. Nolui enim vena aperiretur, niſi me præſente, ut caperem conſilium ex modo effluentis ſanguinis. Die proximo, quum ægra recuſaret expurgans ſumere, iteratus eſt idem clyſter cum parili evacuatione. Die tertio morbi repetita hortatione pharmacum purgans accepit comparatum unciis tribus ſirupi de floribus perſicorum, & drachma dimidia pilularum cochiarum, quo quiſquiliarum ingens copia educti fuit. Interea facies priſtinum colorem recuperavit, depoſito inſolito rubore, oculus dexter vigorem, qui aliquantum læſus erat, lingua motum paullo expeditiorem ad clarius verba efferenda.

Nihil peculiare in hac curatione adnotandum occurrit, niſi ut mulierum cauſſam iterum agerem, & profeſſores perpetui brachii talique in earum morbis videant identidem utriuſque vulnerationem neceſſariam non eſſe, ſed ex peculiari indicatione efficiendam, non ductam ex ſolo ſexu;

Digitized by Google

ſexu; videant etiam capite vertiginoſo, immo etiam incipiente Apoplexia, poſt iſtam baſilicam omitti poſſe ſaphenæ punctionem abſque pernicioſo humorum raptu in partes ſuperiores; cujus metu invaluit opinio in feminis utriuſque venæ cruentandæ, quam neſcio utrum magis imaginatio feminarum, an medicorum ſuſtentet. Subjungo efficacius exemplum idem confirmans nuper oblatum. Quibus mos eſt attonita perſuaſione perpetuo cædendæ Saphenæ poſt cæſam baſilicam, id, opinor, maxime neceſſarium videbitur in muliere 50. annor. Apoplexia detenta. Sciant tamen hanc neceſſitatem imaginariam eſſe, temere inductam, non contemplatione naturæ. Anno 1738. Menſe Novembris Perilluſtris Margarita Bruſoni Patavina temperamenti melancholici annor. 50. negligens rectæ victus rationis octo dies poſt obitum Mariti, ad veſperam repente voce privatur in terram caſura, niſi a Domeſticis ſuſtentata fuiſſet; qui territi, quum nullus foret in promtu Medicus, vocarunt Chirurgum, qui ſubito ſecuit venam brachii, & aquam contra Epilepſiam deſcriptam a Langio præſcripſit. Accerſitus horâ prima noctis mentem, & ſenſus valde debilitatos vidi, non abolitos, interrogataque murmur quoddam, non vocem edebat; brachium dexterum, itemque crus motus impotentia erant. Tamen reſpiratio, ex cujus offenſa declaratur morbi gravitas, parum erat læſa. Itaque ex mala victus ratione conjiciens impuritatem ſuccorum juſſi, poſt aliquot horas propinari catharticum, quod ſuo effectu caruit, itemque injectus die ſequente clyſter parum eduxit. Tertio igitur a caſu die porrectis unciis 4. ſirupi de flor. perſic. cum drachma pilularum cochiarum pluries copioſa dejecit, mentiſque & ſenſuum redeuntium aliqua indicia apparuerunt. Quarto die appoſitæ ſunt tergo cucurbitulæ levi-

Digitized by Google

leviter ſcarificatæ, neque quicquam cogitavi de feriendo talo; quando ante ſex annos menſtruis defecta erat, omnique prorſus incommodo immunis. Ceterum neque ex inciſa vena brachii, neque ex admotis tergo cucurbitulis, quæ duo vulgo creduntur trahere humores in partes ſuperiores & caput, ullum indicium hujus attractionis apparuit: immo apparuit nihil attractum fuiſſe intra quindecim circiter dies reſtituto motu linguæ, aliarumque partium offenſarum. Et ſane abdicata opinione vulgari de prædicta attractione, quæ utilitas ſperanda erat ex vulnerato talo? Offenſæ partes a morbo ex communi praxi reparandæ ſunt calidis medicamentis reſolventibus & roborantibus. Si tamen ſanguinem inutiliter conſumimus, vitæ fomitem, an non opponimur moliendæ per calida reparationi? Enimvero tam apertam rerum conſequentiam non vident, qui ad ſuperandum ictum Apoplexiæ abſque teſtata indigentia large iteratoque ſanguinem fundunt. Veruntamen non ſolum effuſa ſanguinis detractio obeſſe poteſt reparationi partium, quæ ſæpe redemto capite infirmæ, & reſolutæ remanent; ſed ipſi tuendæ vitæ in morbi aggreſſione. O ſaluberrimum monitum Aretæi! qui *cap. 4. de curatione Apoplexiæ* ait: Apoplexiæ magno morbo ſanguinis miſſionem convenire tamquam magnum remedium, niſi quis plus quam conveniat mittendo delinquat, modum autem conjectandi difficilem eſſe. Nam ſi paullo plus detraxeris, hominem plane ſtrangulaſti; ad vitam enim tuendam in his anguſtiis vel paucus ſanguis efficaciſſimus eſt; ſin minus detraxeris, quam cauſſa poſtulat, nihil magni per magnum auxilium contuleris: quare præſtat, ut concludit, minus detrahendo delinquere.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

DE MORBIS PECTORIS.

OBSERVATIO PRIMA.

Raucedo ingens cum ſpirandi difficultate.

MErcator Illyricus annor. 42. temperamenti bilioſi & melancholici, qui duobus annis gallica gonorrhæa pollutus fuerat, menſe Martii anni 1700. incidit in magnam Raucedinem; qua ſpiritum trahebat cum conatu, & ſtridore tanto, ut tota domo audiretur. Sitis multa, tuſſis frequenter irritans, nihil excernens, frequentes vigiliæ, tonſillæ rubentes, difficultas aliquanta deglutiendi. Febris nulla, pulſus non ſatis elatus. Curabatur Venetiis a Medico Neapolitano linctibus incidentibus calidiſque, ad quem accerſitus ſum die 15. Septembris ad conſultandum cum celeberrimo Medico D. Maſtini. Mea ſententia fuit, produci Raucedinem ex fluxu calidi, tenuiſque humoris, ſive lymphæ, inſtar aluminis, aut vitrioli ſtipticæ manantis ex glandulis laringis, & aſperæ arteriæ, & efficientis, ut loquar cum Paullo, aſperitatem inflammatoriam, ictum liberum aeris, in quo vox conſiſtit, impedientem; aliquid etiam ejuſdem humoris ad pharyngem illabi deglutitioni incommodum; ejus vero ſcaturiginem in ſanguine eſſe. Idem decrevit D. Maſtini, cujus pariter aſſenſu relictis prius adhibitis remediis, ſubſtitui decoctionem flo-

Digitized by Google

florum papaveris rheados, violarum, malvæ cum paſſulis, jujubiſque: qua credidi, & toti ſatisfieri, ipſique parti affectæ, addito linctu de caulibus cum ſirupo jujubino. Initium tamen curationis fuit electuarium lenitivum ſuperadditis unciis 3. olei amigdalarum dulcium, & deinde hortatu D. Maſtini modicum ſanguinis detractum eſt. Revulſionis, & derivationis gratia appoſita ſunt brachiis in parte ſuperiore veſicantia, itemque cervici; quæ tamen a veſicante leviter eroſa brevi exaruit, propterea ibidem cauterium ſetone paratum eſt. Quum autem valde ſitiret, & copiam præſcriptæ decoctionis hauriret, aliquod allevamentum, ut ſperabam, dilatum non eſt; & poſt ſex dies ab uſurpatis remediis imminutus oppido eſt ſtrepitus reſpirantis, & non nihil raucedo. Hoc eodem tempore noctu ſoporato ægroto effuſe ſudor erumpebat, perſeveranſque eruptio octo novemve dies vires non parum debilitavit; quam tamen cohibere nolui negotio naturæ commiſſo; quæ, ſicuti abſque remediis ad ciendum ſudorem hunc provocaverat, ita paullatim imminuit, & compeſcuit. Prope ultimos dies, quibus ſudor manavit, tuſſis mane moleſtior reddita quidem eſt, ſed cum exſcreatione denſæ flavæque pituitæ, inde poſt tres dies leviore reddita reſpiratione, & voce clariore. Integrum menſem indicata medela tranſegi ex certis intervallis etiam blandis laxantibus propinatis. Itaque in dies aliquo bono ſucceſſu apparente, tandem ſtrepitus in reſpirando plane deſiit, vox pene in totum ſonora redivit, noctu ſomnus placidus, pulſus vegetior, cibique pariter appetitus, & abſque aliis remediis reſtituta facultas eſt ſolita vitæ munia obeundi.

Iter fecerat ægrotus calida tempeſtate per calidas regiones; longo tempore uſus erat rhabarbaro propter icteri-

Digitized by Google

ritiam, quæ præceſſerat; accedebat temperatura bilioſa; quorum animadverſione judicavi ſanguinem affluere calidis ſtipticis aſperiſque ichoribus, propterea calida omnia, & acria removenda; lævia, & mollientia uſurpanda; quorum uſum fere ſubito effectus comprobavit. Interea roborata natura viam invenit, præparatum humorem, & fomitem morbi extrudendi per ambitum corporis prolixo ſudore, & pluribus diebus provocato, cui major pars curationis debetur.

In conſultatione expenſum eſt, an gallica gonorrhæa, qua duobus annis ante raucedinem affectus fuerat, quicquam ad hanc producendam contuliſſet. Quum autem nullum prorſus in præſens Celticæ labis veſtigium appareret, mihi viſum eſt parum vel nihil contuliſſe, conſenſitque D. Maſtini; ideoque præſentis morbi ratio habita eſt, non præteriti: iiſque remediis parata natura eſt ad morbum ſubigendum; quæ contra præteritum nihil peculiare habebant; cujuſmodi putantur eſſe hydrargyrum, & decoctum guajaci. Quin immo etiam conceſſo, ſuſcitabulum morbi magna ex parte fuiſſe contractam antea luem, tamen opera danda erat urgentiori, & corrigendis manifeſtioribus qualitatibus, videlicet acrimoniæ, aſperitati, & auſteritati humoris tot moleſtorum ſymptomatum effectoris. Etiamnum latet eſſentia veneni gallici, & propterea adverſus idem certum antidotum. Quare in morbis, de quibus dubitamus, utrum foveantur ab eo veneno, dirigenda medicatio eſt ab clarioribus indiciis peccantis humoris. Quamquam enim perpetuo una eſt illius eſſentia, tamen, ut ſunt diverſa corpora quibus inſedit, varie immutat humores; ideoque, uti notat Fernelius doctiſſimus *lib. 2. de abd. rerum cauſis cap. 14.*, alia parit accidentia in pituitoſo, alia in me-

Digitized by Google

melancholico, diſſimilia in bilioſo, induƈta ea mutatione in humorem, ad quam recipiendam natura paratior eſt.

OBSERVATIO SECUNDA.

Aſthma extraordinarium.

Nobilis Stephanus Calafati Juriſconſultus temperamenti bilioſi, proceræ ſtaturæ circa initium Septembris anni 1736. difficultate ſpirandi gravius tentari incœpit, quam aliquot menſibus ante leviorem patiebatur, & nondum ſolita vitæ munia prohibentem. Noƈtu multo major erat anguſtia ſpiritus quam interdiu, non tamen continua, ſed poſt aliquot horarum ſomnum experreƈtus una alterave hora laborioſe reſpirabat cum diſtenſione ventriculi a flatu difficulter erumpente, poſtea ſedato tumultu quiete dormiebat. Hoc valetudinis ſtatu perdurante menſe Auguſti Venetias adivit, atque in itinere uſus largiore, varioque cibo Venetiis veteris impedimenti incrementum ſenſit. Reverſus Patavium menſe Septembris noƈtu ad ingreſſum leƈti, capto unius vel duarum horarum ſomno, excitatus labore ſpirandi, ruƈtuque difficili angebatur, & poſtmodum alvo ſoluta reliquum noƈtis inquieto ſomno tranſigebat. Alvi excrementa flava erant, magnam partem liquida, urinæ aliquantum rubræ, pulſus durus, frequens, comprimenti fortiter reſiſtens. Poſt ſeptem dies a reditu Patavium invaluit affeƈtio, non tamen augmento tanto, ut cogeretur decumbere, & abſtinere parco ſanorum prandio, brevique cœna; ſed tribus proximis diebus gliſcente ægrotatione die 22. Septembris de-

Digitized by Google

decubuit. Interdum corripiebatur tuſſi fere ſicca, mane tamen diluculo extuſſiebat unum vel alterum ſputamen craſſæ pituitæ cum aliquo ſanguinis veſtigio. Die 23. circa horam 21. valde refrigeratus eſt poſtquam ad egerendum ſurrexiſſet, brevique recaluit, ſed minus quam antea, immo toto ægrotationis tempore numquam calor perceptus eſt ad febrilem accedens. Die 24. ſummo mane ſurrexit ad excernendas irritantes feces, diuque in conatu perſeveravit. Porro ingreſſus lectum poſt horam motu valido convulſivo capitis affectus eſt cum oris diſtorſione, vociſque interceptione in conatu loquendi, qui antea ſimiles motus, ſed multo leviores paſſus erat. Sedato motu forti convulſivo ſucceſſit magna inquies horam integram perſeverans, modo in hanc, modo in illam partem ſe ſe convertente ægroto, in nulla quieſcente: qua tranſacta remanſit anhela reſpiratio, quæ ultimis quatuor diebus gravior fuit, & prope continua in eadem intenſione. Eodem die 24. parum calebat, languidius arteria pulſabat, ſitis valde moleſta, quæ antea modica erat, totaque in ſiccitate faucium continebatur. Nox proxima plena pœnarum fuit ob anguſtiſſimas vias ſpiritus, adeoque infeſta, ut me diluculo juſſerit acceſſiri percunctaturus, quantum temporis ſupereſſet morti intolerabilem angorem finituræ. Quare cœpi conſilium propinandi uncias 4. olei amigdalarum dulcium, quibus inſtar miraculi ſtatim quievit fere ad horam uſque 21. Ceterum adventu noctis ingraveſcente anhelitus difficultate ante horam ſecundam æternum quievit. Poſtremis 7. diebus ante obitum aliquando capiebatur eo ſenſu, quaſi animus deficere vellet, non tamen deficiebat; idque ſæpius graviuſque ultimis tribus diebus paſſus eſt. Poſt mortem diſſecto cadavere appa-

Digitized by Google

apparuerunt pulmones in parte anteriore naturaliter colorati, ſed magnitudine majore naturali, itemque duritia. Rubeſcebant in poſteriore parte, adhærebantque vertebris coſtiſque, qua parte hæ conjunguntur. Cor ſubſtantia illæſum erat, vitiatum magnitudine naturalem non parum ſuperante, extraneoque colore ſuffuſum; itemque hepatis dura adaucta moles.

Nobilem ægrotum ab ortu præparatum fuiſſe ad id genus morbi iccirco exiſtimo, quod in prima adoleſcentia, ut accepi, non poterat exercere ludum pilæ, alioſque laborioſos motus ob difficultatem anhelitus non una ex cauſſa ortam, ſi quæ apparuerunt in cadavere, ut par eſt opinari, initia habuerunt in pueritia. Eam vero tam immaniter auctam eſſe in morbo tendente ad extrema, ut longe a domicilio perciperetur conatus reſpirantis, a magnitudine pulmonum, & duritia, item incremento molis cordis, hepatiſque quis dubitet? Mitto pulmonum conjunctionem cum vertebris, & aliqua parte coſtarum, quam multi volunt eſſe impedimento libertati ſpiritus reciprocandi, quando Diemebrochius *cap.* 13. aſſerit in quodam duce furum ſuſpenſo, & a ſe profecto inveniſſe pulmonem non ſolum pleuræ undequaque in utroque latere, ſed etiam toti diaphragmati, & mediaſtino tam firmiter adnexum, ut non ſine magna dilaceratione avelli poſſet; qui tamen optimâ ſanitate fruitus erat, nullam paſſus ſpirandi difficultatem. Enimvero præ ceteris videtur auctum hepar principale impedimentum fuiſſe reſpirationis, inde ducto argumento, quod aliquanto levior erat reſpiratio erecto capite decumbenti ægroto, quam in lecto ſedenti, in quo poſitu impatibilem compreſſionem ſentiebat, nec perſiſtere poterat. Unde autem eam congruentius deſumemus,

quam

Digitized by Google

quam ex hepatis ampliore mole diaphragmatis motui obſiſtente? Quando conſtat cauſſa principaliter exiſtente in pulmonibus, laborantes minus anhelatione premi ſedentes quam decumbentes. Non parum contulerunt ad ſpiritus vias arctandas duri, auctique pulmones, itemque major moles cordis, plurimum tamen hepatis.

Inſpectum cadaver oſtendit cauſſam proximam difficilis, & magno cum conatu editæ reſpirationis organicam fuiſſe: quæ ſine judicio oculorum referenda videbatur ad aſthma convulſivum cum Recentioribus, ad flatulentum & hypochondriacum cum Antiquis. Licet enim non defuerit tuſſis, hæc tamen plerumque inanis fuit, & ſolum aliquando mane efferens modicum pituitæ craſſæ, aliis temporibus parum admodum liquidæ, & ſpumoſæ. Adfuerunt quidem plures motus convulſivi leviores, unus vehementior, ſed conſecuti magnam totius animalis œconomiæ perturbationem, atque ſpirituum humorumque jactationem in tanta anguſtia ſpirationis; cui pariter turbanti ſolitum influxum ſpirituum animalium ad cor attribuo initium ſæpius recurrens Leypothimiæ ultro non provectæ. Fuit quoque obſervabilis in hoc ægroto pulſus, qui etiam per ſanitatem durus erat, magnus, & frequens, ſed magis in morbo, & levi quacumque febri ſequens motum amplioris cordis pro ſua mole fortius jactati.

Curatio inſtituta fuit a Nobili Petro Marchetti uncia dimidia electuar. lenitivi, eo reſpectu, quod per dejectionem ſentiebat ſe levari. Poſt duos dies comes acceſſi, atque quum viderem alvi excrementa biliosa, & mane extuſſiri ſputum paullum cruentum, auctor fui ut propinaretur ſerum lactis caprini; quod aliquot diebus ſumtum

tum

Digitized by Google

tum ſemperque movens alvum ſpem levaminis ingeſſit; quo tamen non reportato, immo ingraveſcente morbo diſſecta eſt vena brachii extractis unciis 5. ſanguinis, a quibus duas horas quievit, poſtea recruduit morbus ad extremum progrediens, ut timendum erat. Imminenti, ut videbatur, animi deliquio occurrebat confectio hyacintina cum aqua borraginis: molliendæ vero difficultati reſpirationis ex multis adhibitis nihil profuit præter oleum amigdalarum dulcium.

OBSERVATIO TERTIA.

Aſthma repentinum in femina 73. annorum.

PErilluſtris D. Maria Vulpia annor. 73. temperamenti melancholici, poſtquam tota æſtate anni 1736., & dimidio autumno decubuerat conflictata magno capitis languore ſedenti brevi tempore extra lectum vertiginem minante, cordis afflictione frequenti, dejecto appetitu, dolore dextri hypochondrii, ſupra quod jacere non poterat, moleſto ſenſu contractionis in ventre, & inflationis, menſe Februarii anni 1737. noctu quum dormitum iviſſet bene cœnata hora 8. expergefacta difficultate ſpirandi capta eſt tanta, ut eadem nocte Parocho accerſito ſe ſe ad extrema præparaverit, ob id vehementer territa, quod antea nil ſimile paſſa foret. Mane eam in lecto ſedentem inviſi, quo corporis poſitu tantummodo ſpiritum ducere poterat, cum pulſu præter morem frequentiore. Itaque ſtatim præſcripſi unciam dimidiam electuar. lenitivi, & paullo poſt uncias tres olei amigdalarum dulcium: quibus ſatis alvus purgata eſt, non ſatis imminuta pectoris anguſtia: quæ licet tribus

Digitized by Google

ſequentibus diebus non fuerit par primæ nocti, tamen hujuſmodi fuit, ut impediverit ſomnum, & ſupinum decubitum; iiſdemque diebus intumuerit brachium dextrum, crura etiam circa malleolos. Secta eſt vena manus ſiniſtræ, atque ex intervallis ſumebat cochlear olei amigdalarum dulcium permiſtum ſirupo de pomis. Duobus diebus poſt ſanguinem detractum accepit uncias tres olei amigdalarum dulcium, quas conſecuta eſt mediocris excretio, aliquanto facilior reſpiratio, & aliquot horarum ſomnus noctu diuque, qui futuræ ſalutis indicium fuit: inde paullatim reddita ſpiritus libertate, & omnino brachii tumore diſcuſſo. Ablatis pectoris anguſtiis ſucceſſit dolor fortis humeri, brachiique, quod prius intumuerat, lenitus tamen fotu ex decoctione ſeminum lini, & florum chamemæli, eodemque intra decem dies ſedatus.

Democritus in Epiſtola ad Hippocratem uterum in feminis appellat vehemens malum, & cauſſam infinitarum ærumnarum: cui plurimi Medici conſentientes omiſſa ſubtiliori indagine, niſi cauſſa ſit manifeſta, feminarum frequentes angores in uterum rejiciunt. Neſcio tamen an ille poſſit eſſe fomes primarius tot morborum, quot ipſi attribuuntur, præſertim quum ſuis laboribus propter ſenilem ætatem perfunctus eſt: quo tempore aliquid conferre poſſe ad morbos ex mutuo omnium partium conſenſu, & conſpiratione non diffiteor, plurimum poſſe difficile videtur: quando Sydenhamus in Diſſertatione epiſtolari animadvertit, facta collatione inter ſymptomata adſcripta hyſtericæ affectioni, & in viris hypochondriacæ, ſimilitudinem tantam quantam inter ova. Mirum igitur non eſt in hac femina, quæ diverſis temporibus plura ſymptomata tulit vul-

Digitized by Google

vulgo nuncupata hyſterica, nihil omnino profuiſſe, quæ ad eadem ſedanda antidota celebrantur. Quare utens libertate in re obſcura opinandi, affectionem, quam paſſa erat anteacta æſtate, itemque alias, majori ex parte ad ſpeciem rheumatiſmi refero, ad partes interiores converſi, quo interdum converti ſupra eum aliis animadverſum fuit. Itaque ſi putemus humorem, qui a venis in Rheumatiſmo plerumque tranſmittitur ad partes exteriores, tranſmiſſum fuiſſe ad interiores, caput, ventriculum, imum ventrem, non incongrua forſitan ſuppettet ratio accidentium, quæ diverſis temporibus ægrotam afflixerunt, doloris capitis cum gravitate, & quaſi vertiginoſi, dejectionis appetitus, ſenſus contractionis ventris, inflationis tactui occultæ, addito flatu non raro rheumatiſmum comitante, quem copioſum interdum per inferiora emittebat, quamvis neque copia cibi, neque qualitas ad ejus proventum faceret. Auget conjecturam, quod tranſacto morbi curriculo patientia magis, quam remediis ſuperati, nullum in ventre apparebat præteritorum veſtigium, & caput robur acquirebat ad ſolitas actiones obeundas, ut accidit, quum rheumatiſmus exteriora premit, quæ in priſtinum reſtituuntur. Quin etiam quum primum hac affectione tentari cœpit, ideſt anno 1720. quatuor annos perduravit coacta decumbere, ſemper tamen abſque febre, ut in quolibet alio ſimilis morbi recurſu, nec ullam tamen viſcerum labem contraxit. Siquid igitur de hujus ægrotationis idea mihi determinandum eſt, non alia probabilior conſtitui videtur quam rheumatiſmi, cui reſpondet aſthma repente noctu obortum. Neque ſane difficile fuit in corpore ad illius morbi genus præparato, dum ſomno viſcera incaluerunt, commotum humorem ſeparatumque

K 2 in

in pulmonum ſubſtantiam, aut leves arterias repente influxiſſe indicio ſuſpirii ſine ſtertore genito; quod Riverius ſpurium ſtatuit, productumque ab humoribus crudis in venis exiſtentibus, & per arteriam venoſam in eas partes delatis; ducto argumento ex urinis craſſis turbidiſque, quæ in aggreſſione hujus aſthmatis apparent, tales redditæ, ut opinatur, ex portione crudi humoris ad vias urinæ traducti: quales ſane urinas in hac muliere vidi. Vvilliſius præeunte Carolo Piſone de colluvie ſeroſa exiſtimat plurium morborum, quos vocat convulſivos, cauſſam a capite per nervos decurrere in ſubjectas partes: ſed longius diſputare non vacat, utrum cauſſa deſcripti ſuſpirii a capite per nervos, an e venis & per venas proxime in pulmones fluxerit; qui habeo pro certo, univerſalem ſcaturiginem fluxionum in vaſis eſſe, & humorem, negotium naturæ exhibentem, eo traduci, quo promtius labi poteſt ratione ſuæ ſubſtantiæ, viarum, partiſque recipientis. Enimvero naturæ facilius eſt vias invenire irritantes humores ad varias partes transferendi mirum in modum conjunctas, quam nobis deſignare ex iis tantummodo, quæ in cadaveribus conſpiciuntur. Poſt affectionem anhelam cauſſa eadem rheumatiſmi traducta ad humerum, brachiumque abſque ullo, uti ſolet, tumore peperit dolorem novem dierum. An parum arridet idea deſcripti morbi relata ad rheumatiſmum? Tamen ita ſalebroſum eſt, morbos ſingulorum hominum referre ad ideas generales, quæ traduntur in ſcholis, ut reprobanda minime ſit ſimilitudo veri, niſi pateat aditus ad verum.

OB-

Digitized by Google

OBSERVATIO QUARTA.

Tuſſis cum difficultate ſpirandi, & ſucceſſione rari Hydropis.

DOm. Hieronymus Corona egregius Patavii automatarius annos natus plus minus 45. temperamento ſanguineo, & melancholico, rufo colore faciei, toto menſe Februarii anni 1737. paſſus eſt tuſſim cum difficultate ſpirandi in aſcenſu ſchalarum, motuque corporis vehementiore, quam abſque remediis tulit, ratus eſſe gravedinem ceſſaturam hyemali frigore lenito; & me tantummodo initio Martii conſuluit, nullum levamen afferente mitiore tempeſtate. Tuſſis erat moleſta, catarrhus craſſus, & viſcoſus, difficultas non exigua reſpirandi, non tamen ſemper æqualis, tumor crurum malleolum verſus, urina pauca craſſa, & rubra, flatuum modica & difficilis eruptio, quæ ante morbum per ſuperiora & inferiora expedita copioſaque erat. Explorato ventre nulla uſpiam erat arteriæ pulſatio, dolor nullus premente manu, ſolum infra cartilaginem enſiformem erat duritia, decubitus ſupra latus ſiniſtrum etiam per ſanitatem moleſtus: ab infantia non ex morbo præſente carotis in parte ſiniſtra fortius micabat, itemque in eodem latere fortior pulſus. Præceſſit eſus longus carnis, & ſanguinis ſuilli ad ſtimulandam obtuſam appetentiam, cauſſa ex evidentibus, quæ plus contulit producendo morbo. Itaque curationem auſpicatus ſum ab alvo laxanda oleo amigdalarum dulcium, præmiſſo bolo ex electuario lenitivo, poſtque duos dies detractæ ſunt, revulſionis nomine, unciæ ſex ſanguinis ex bra-

chio

chio ſiniſtro, in quo nihil prorſus vitioſi apparuit. Porro aliquot dierum facto intervallo præbui agaricum trociſchatum cum tartaro ſolutili, quibus adeo ſalutaris viſa eſt fieri vacuatio, ut inde non exigua ſpes concepta ſit, quæ tamen bis eodem cathartico iterato ſine eodem ſucceſſu evanuit. Poſtea oblata occaſione ſolvendi ventris ſatis commode adhibui uncias duas mannæ cum tartaro ſolutili. Ad pectus tergendum, urinamque ciendam quinquies ſumſit therebintinam Venetam quantitate drachmæ unius cum dimidia, ſuperbibendo decoctionem radicum fœniculi, malvæ & folior. parietariæ, quibus aliquantulum ſolvebatur alvus, nihil veſica. Statim initio curationis amovi vinum, ſtimulum fluxionum, ſubſtituta decoctione radicis cannæ montanæ, mediani tamariſci, addito modico radicis liquiritiæ. Veruntamen quum poſt cibum perciperet majorem ventris inflationem, quam ex potu vini, hoc iterum permiſi more Patavino aquatum cum infuſione tamariſci.

Hæc uſurpata remedia non potuerunt continere inchoatum morbi fatalem curſum, progreſſumque. Totus venter tenſus eſt, intumuitque, ſed femora magis & crura. Perſeveravit tuſſis oppido moleſta, auctaque copia ſputorum, quæ craſſa erant viſcoſaque, itemque ita difficultas anhelitus aucta, ut ſupinum decubitum ad capiendum ſomnum impediret. Ad leniendam tuſſim, parandumque faciliorem ſcreatum varios linctus expertus ſum, ſed nullum utiliorem decoctione hordei, radicis liquiritiæ cum modico ſirupi de pomis, additis floribus violariæ, ſtatim ac tempeſtas tulit, qui ferventi decoctioni infundebantur. Quum autem incaleſcerent fauces, & tonſillæ ex frequenti conatu exſcreandi, decocta eſt liquiritia in ſero lactis additis malvæ floribus, amplius

Digitized by Google

plius non ſuppetentibus violis, & modico, ut antea, ſirupi de pomis, quo decocto in reliquo ægrotationis tempore nihil conducibilius comperit.

Ex antea obſervatis parum fidebam purgantibus, nihilo tamen ſecius ad inhibendum majus incrementum tumoris, periculum feci cathartici ex infuſione drachmæ radicis mechoachannæ cum tartaro ſolutili, & unciis tribus ſirupi roſati ſolutivi: quibus dejecit copioſe materiam flavam, qualem etiam ſine pharmaco fere ſemper excrevit; ſed copia excretorum nec minuit tumorem, nec inhibuit incrementum. Quare cœpi conſilium abſtinendi ab omni purgante, præbuique non ſine aliquo levamine, ventriſque levi motione, pluribus diebus modo continuis modo diviſis, drachmam gum. ammo. cum uno ſcrupulo ſpermatis ceti adjecto hauſtu decoctionis ſemin. alchechengi, folio capill. v. parietariæ.

Poſt omnia indicata remedia primis Aprilis diebus hæc morbi facies erat. Contracte ſpirabat æger, non tamen ſemper æquali anguſtia, ſed mane plerumque majore, minore horis tribus poſt paſtum; ſentiebatque minui gravitatem anhelitus, præcedente quodam ſenſu rei ad inferiora deſcendentis. Femora, crura, ſcrotum in grandem tumorem elata erant, in minorem tenſus venter, in quo nullum percipiebatur murmur fluctuantis aquæ in quodcumque latus volveretur, & quæcumque pars comprimeretur. Porro in grandi partium inferiorum tumore, ſuperiores fere priſtinum habitum, coloremque ſervabant, nec deerat idonea cibatio. Dum mecum ipſe mirabar tam ingentem tumorem partium inferiorum, & nihil novi accidere, cito deſtiti admirari. Siquidem crura, quæ prius frigida ſentiebat, non parum, & cum rubore incaluerunt, atque circa dimidium

Digitized by Google

dium Aprilis ex femore, & crure ſiniſtris, in qua carotidis, pulſuſque fortior erat micatus, incœpit guttatim aqua decidere, poſtea quoque ex parte dextra. Excitatæ ſunt etiam in crure aliquot veſicæ; ruptæque copioſiorem humorem fundebant. Effuſio in dies præſertim ex ſiniſtris partibus increſcens tam prolixa reddita eſt, ut noctu plura lintea, ipſamque culcitram madeſacere nec interdiu umquam ceſſaret, uberiore quantitate ex poplite ſcatente. Quid inde evenerit, accipe. Paullo antequam crura ſtillarent, tribus diebus excrevit ſputa aliquantum cruenta, poſt aquæ effuſionem nulla hujuſmodi, & poſt eamdem liberior reſpiratio, non exigua tuſſis infeſtæ decretio, itemque tumentis ventris, ſcrotique, flatuum eruptio copioſa expeditaque, quemadmodum in bona valetudine ſolebat, contigerunt. Quum autem videretur ſperandus interruptus progreſſus ad ſalutem, nocte diei 22. ejuſdem menſis febris fortis accenſa eſt cum intenſa ſiti, calore & rubore crurum, ſed magis dextri, quod mane vidi Eryſipelate affectum. Multum remiſit febris; reverſa tamen eſt proxima nocte; eaque redeunte audivit uxor dentes ſtridere, licet nullum frigoris ſenſum ægrotans haberet: fuit levior altera, nec amplius redivit. In utraque febri cœpit urina largius fluere, & perſeveravit. Interea temporis imminutus eſt fluxus aquæ ex crure ſiniſtro, oppido adauctus in dextro, in cujus ſuperiore tibiæ parte, ante multum tempus contuſionem acceperat; quo loco cutis ſubnigra apparuit, duæque excitatæ ſunt veſicæ, quibus diruptis flavus ichor effluxit, atque ex ulcere ſuperſtite dies octo circiter ſerum prolixe ſcatere perrexit. Ulcus erat digitum unum longum, quatuor tranſverſos latum, ſuper quod facta eſt concretio alba molliſque, qua, quum per-

mil-

miſſum eſt, ablata, pus craſſum exivit, tibiam ſurſum verſus Chirurgo premente.

Duobus diebus poſt febres omnia moleſta accidentia, ut antea, remiſſa ſunt, crevitque remiſſio initio Maii, quo urinæ uberiores potu redditæ ſunt coloris ex rufo flavi. Copioſiori urinæ nocte diei octavi additus eſt largus ſudor, pluresque noctes continuavit, attulitque ſalubriores eventus. Itaque cum videretur natura in morbum dominari, ſibique ſatis conſulere, toto menſe Maii nihil medicamentoſi porrexi, contentus idonea victus ratione, ita ſuadente integra reſolutione tumentis ventris, ſcrotique abſque ulla duritia & tenſione ventris ſuperſtite, qui mollis erat, ut per ſanitatem: ita ſuadentibus facili reſpiratione, ſupino decubitu, ſomno quieto abſque tuſſi, vegeto appetitu, convenienti dejectione alvi, refectiſque viribus, adeo ut nihil morbidi in toto corpore remaneret præter ulceratum crus, quo unico impedimento domi retinebatur. Hæc conditio ſalutis permanſit ad diem uſque 6. Junii, quo detentus eſt febri, prægreſſo frigore horarum duarum, & eryſipelate circa dimidium femur dextrum cum exiguo cutis tumore, intenſoque rubore. Quo tempore frigere incœpit, perſenſit quoſdam ventris dolores cum voluntate inani egerendi. Quare mane proximo præbita uncia caſſiæ copiam flaveſcentis purgamenti eduxit, eodemque die febris aliquantum remiſit, magis tertio, & quarto, poſt quem in totum deſivit, ſuperſtite tamen ingenti viſcerum ſiccitate; cui occurri ſero lactis, brevique ad eum valetudinis ſtatum pervenit, quem habebat ante febris, & eryſipelatis aggreſſionem, & perſeveravit ad diem uſque 16. Junii, quo mutatio manifeſta in deterius facta eſt. Reſpiratio, quæ prius laxa omnino erat, arctior

Digitized by Google

evaſit, abdomen durum, & intentum, urinæ parciores, & rubicundiores, renovataque eſt difficultas emittendi ſupra infraque flatus. Sentiens turgere ventrem, quaſi multa ejicienda ſtimularent, die octavo Junii accepit pharmacum ex uncia dimidia electuarii lenitivi, & granis ſeptem diagridii, quod tulit copioſam excretionem, nullum allevamentum. Quum autem morbo recidivo acceſſiſſent in magna parte ventris dolores, licet non valde intenſi, obtulerunt non ſemel occaſionem propinandi oleum amigdalarum dulcium, vel ſolum, vel præmiſſis unciis duabus mannæ, quibus dolorum moleſtia leniebatur. Externa quoque ad idem facientia, imminuendumque tumorem prætermiſſa non ſunt, unguentum arthanitæ cum oleo liliorum alborum, præterea emplaſtrum de meliloto. Ceterum morbo contumaci perſiſtente habita eſt conſultatio cum experientiſſimo D. Petro Zuella, cujus conſilio iteratum eſt gummi ammoniacum cum ſpermate ceti adjecto inſuper dimidio ſcrupulo millepedum præparatorum, ſuperbibendo decoctionem malvæ, radicum fœniculi, graminis cum modico ſalſæ parillæ, quæ aliquantum incitarunt urinam; ſed poſt tres dies, redeuntibus tuſſiendo ſputis ſanguine aſperſis, omiſſa ſunt. Quum porro circa dimidium menſem Julii aer incœpiſſet valde fervere, ægerque vehementius ſitire, mane ſumebat decoctionem radicum malvæ, graminis, liquiritiæ, ſeminum melonum, cui ferventi infundebantur flores malvæ, quibus temperabatur ſitis, aliquanto uberior urina fluebat, ſed infra indigentiam. Gliſcente autem præter morem calore æſtivo, in anguſtiam tantam anhelitus incidit cum dolore ad ultimas coſtas ſiniſtri lateris, ut die 21. menſis Julii neceſſariam duxerim unciarum 7. ſanguinis detractionem; cujus major

pars

Digitized by Google

pars ſerum fuit, parsque concreta flaveſcente cruſta obducta. Statim, ut ſperabam, ſpiritum liberius duxit, aliaque commoda evenerunt, vires aliquantum refectæ liberioris reſpirationis effectus, minus moleſta tuſſis, faciliorque exſcreatio, urinæ quantitas major, imminutio doloris in parte ſiniſtra. Diu tamen, ut timebam, non perſtitit allevatio ex ſcalpello allata, nec ultra novem dies, quibus ſemper alvus aperta fuit, & quotieſcumque non ſatis, modicum caſſiæ ſatisfaciebat; ſed hoc ipſo tempore cœpit extuſſire pituitam viſcoſam decolori ſanguini admiſtam, abſque tamen ullo puris indicio; quam uſus mane ſeri lactis caprini purificati reddidit incruentam. Principio Auguſti contractio reſpirationis increvit, dolorque in parte ſiniſtra, & paullo poſt ortum eryſipelas eodem, quo antea, loco, cum febre, & intenſa ſiti, tametſi ante duos dies ex ſumtis tribus drachmis caſſiæ multum dejeciſſet, ſumeretque ſerum lactis caprini, quæ duo videbantur adverſa ortui eryſipelatis. In hac procella iterum confugi ad ſanguinis eductionem, qui non diſſimilis fuit antea extracto, ſed impar inde reportatum levamen, ut animo præſumſeram. Die 4. Auguſti quum ab orto eryſipelate femur & crus oppido intumuiſſent, incœperunt iterum guttatim inſtarque roris ſerum effundere, cujus collecti odor erat veluti urinæ, ſaporque ſalſus a famula, quæ illud deguſtavit, perceptus. Quantitas quatuor diebus effuſi fuit plus minus librarum ſeptem, eodemque tempore alvus copioſe laxa fuit. Inde detumuit aliquantum venter, imminuta reſpirandi difficultas, dolorque lateris affecti. Abundans alvi dejectio perſeveravit, crevitque plerumque flava, non omnino cruda & liquida; quæ tamen vires tantummodo debilitavit, non inhibuit aug-

 men-

Digitized by Google

mentum laboris in reſpirando. Die 6. Auguſti tuſſis invaluit efferens ſputa craſſa & alba, valde noctu infeſta, & fere cum continua vigilia. Hoc tempore extremorum ſigna apparuerunt, pallor tumorque faciei, murmur catarrhi, dejectio appetentiæ, febriſque, quæ antea ſolum ex intervallis manifeſtabatur, evaſit manifeſte continua, nuntia mortis, quam die 22. Auguſti oppetivit.

Complicatos morbos, & variis accidentibus comitatos perarduum eſt ad certas ſpecies referre, ſi ſtare ad amuſſim velimus iis, quæ ab auctoribus generatim de iiſdem tradita ſunt: nec alia ratio ſuppetit in obſcuris ambiguiſque aliquid certi, quantum permittitur, ſtatuendi, quam conſideratione apparentium, eorumque cauſſarum. Deſcripti morbi initium fuit gravedo cum tuſſi, catarrho, & ſpirandi difficultate in motu vehementiore, quæ per menſem neglecta incrementum cœperunt tantum, ut labor reſpirationis etiam ſedentem fatigaret. Ea tamen gravedo ordinariam cauſſam non habuit, ſed vitium totius ſanguinis, & pulmonum, quorum labe ejus ſoror fraterque deceſſerant. Vitium ſanguinis opinor fuiſſe præparationem ejuſdem ad multum ſerum producendum, quod in partem ad recipiendum paratiorem illapſum catarrhum cum tuſſi effecit. Sæpe tamen hæc duo incidunt abſque moleſta coarctatione pectoris in ſpiritu ducendo, in hoc tamen ægroto brevi oborta, tribuendaque aſthmati ſpurio, ut aliqui vocant, ideſt illi, in quo nullum in pectore reſpirantis murmur percipitur, excitato non ex obſtructione bronchiorum ſibilum efficiente, ſed levium arteriarum, vel ex ſubſtantia pulmonum redundante ſero imbuta, ad idem conſpirante copia materiæ ventoſæ retentæ, quæ per ſanitatem abunde promteque emittebatur.

Gra-

Digitized by Google

Gravedini brevi ſucceſſit ſuſpirium, eidemque gliſcenti brevi hydrops, illius effectus, vel ab eadem cauſſa genitus, quæ primum impetum in pulmones fecit, deinde ad partes alias extenſa. Porro eum hydropem ad quam ex tribus communiter aſſignatis differentiis referemus? Defuerunt ſingularum propria, & certa indicia. Defuerunt Anaſarcæ, ſi ejus nomine intelligimus hydropem, in quo, ut aiunt auctores, totum corpus æqualiter intumeſcit, albeſcit cum quodam pallore, retinetque veſtigium impreſſi digiti, urinæ albæ tenues, crudæque;. In noſtro autem ægroto numquam totum corpus intumuit, ſed dumtaxat partes inferiores, & aliquantum facies paucis diebus ante obitum; quæ præterea, antequam renovaretur morbus circa dimidium Junii, naturalem propemodum colorem retinuit. Urinæ vero ſtatim morbi initio apparuerunt craſſæ, rubræque, & exigua quantitate, quales Fernelius, aliique animadvertunt in Aſcite conſpici. Item in ventre nulla percipiebatur aquæ fluctuatio, qualis in Aſcite, neque ille percuſſus reſonabat, ſicuti in Timpanite, quibus indiciis deficientibus tumor ille abdominis, & partium inferiorum accenſendus congruenter videtur, aut raræ cuidam ſpeciei aſcitis, cui ſi defuerunt aquæ fluctuatio in ventre, & partium ſuperiorum extenuatio, alia non defuerunt; aut permixtioni hydropum, quam Aretæus *lib. 2. de morb. diuturnis cap. 1.* multo deteriorem eſſe affirmat ſingulorum conſtitutione. Ergo, quicquid ſentias, illud indubitatum eſt, adfuiſſe copiam ſeri acris ſubter cutem fuſi, quod poſtea per meatus ejuſdem ſibi viam ad exitum munivit. Quid enim aliud indicant eryſipelata, quæ ſupervenerunt, quam acritudinem ſeri, & ſimul bilis affluentiam, quam in aliquibus hydropicis etiam Johannes

Digitized by Google

nes Baptiſta Montanus obſervavit, uti teſtatur conſilio 226.. Quid color flavus excrementorum alvi, itemque urinæ vel ruber, vel flavus? Incipiente, & vigente morbo pauca fuit urina craſſa & rubra; quum vero ille in totum ſedatus videretur, & copioſa excerneretur, erat ex ruſo flava, ob hunc ipſum colorem mihi ſuſpecta. Quid etiam dolores magnam partem ventris occupantes in morbo redintegrato oborti indicabant niſi ſerum acre ad inteſtina delatum, ſtimulanſque undecim diebus copioſas dejectiones? Totum porro ſanguinem acriorem fuiſſe, aptumque ſolvi in ſerum ipſa temperatura indicio erat, itemque motus arteriarum tamquam cauſſa, vel effectus, qui licet fortior eſſet in parte ſiniſtra, ut opinor ob earum contextum magis irritabilem, tamen etiam in parte dextra non multum ab altero recedebat. Quare hæc ipſa vehementior jactatio arteriarum tamquam violenta, ſtatim ac curationem inivi, de hujus exitu felici non levem dubitaionem injecit, veritus ne morbus, ad quem contrahendum natura paratus erat ægrotans, ad fatale tempus perveniſſet. Porro curatio non una difficultate implicata fuit ob copulationem affectionum, quæ ſeparatæ diverſa, & oppoſita exigebant, conjunctæ temperationem non facile impetrabilem. Imminens hydrops ex plurium ſententia videbatur valida cathartica depoſcere, ex communi diuretica, & ſuperfluum humorem abſumentia, quibus obſtabant affecti pulmones. Quamobrem in ambiguis indicationibus morborum animo volvens admonitionem Hippocratis, enitendum eſſe, ut ægrum juvemus, aut ſaltem ne lædamus, ex intervallis præbui modo mediocria purgantia, modo levia, itemque diuretica temperata, metuens ne ſolutum agitatumque ſerum uberius flueret ad partem af-

fe-

Digitized by Google

ſectam, quam ad vias urinæ. Quid enim molirer in difficultate curationis tanta, ut affirmet Aræteus *lib. 7. cap. 1.* de Hydrope, perpaucos hoc morbo liberari, eoſque felicitate quadam, ac Deorum potius, quam artis auxilio? Quid autem diceret de copulatione aſthmatis, & hydropis? Principalis tamen morbus, cauſſaque exitii fuit ſuſpirium, quod cito ſubſecutus eſt tumor ventris, partiumque inferiorum ob ſanguinem ex acredine proclivem ad ſolutionem. Neque vero dubitandum eſt, quin cauſſa primaria mortis fuerit pectoris morbus animadvertenti, pluribus diebus ante obitum, tumorem ventris admodum decreviſſe alvo uberius fluente, & nihilo tamen ſecius auctam eſſe anguſtiam pectoris, tuſſiſque noctu frequentiam, & moleſtiam. Ergo anhelatio, tuſſis, copioſus catarrhus, ſanguis pluries immiſtus ſputis, primum vivido colore, deinde languido, & quaſi violaceo, dolor ad ultimas coſtas, evidenti probatione ſunt, quis morbus primarius fuerit, tuleritque extrema; id quod obſervavi in aliis fato functis, qui ex anhelo pectore hydropem contraxerant; eademque æſtate in Mercatore frumentario Joſepho Bottini, in quo præterea aliquot diebus ante mortem pus manifeſtum apparuit; autumoque idem appariturum fuiſſe in Autumatario, niſi copioſæ dejectiones, ſerique largus effluxus ex partibus inferioribus a pulmonibus majorem perniciem avertiſſent.

O B-

OBSERVATIO QUINTA.

Aſthma in Femina annor. 70.

DOminica Menapaſe uxor Mercatoris frugum temperamenti ſanguinei, boni corporis habitus, ſub fine menſis Decembris anni 1737. incœpit ſuſpirioſa fieri, quam initio ſolum Januarii conſecuti conveni. Facies erat præter conſuetudinem admodum rubicunda; noctu parum dormiebat anhelitu gravi preſſa, tuſſique frequenti cum exſcreatu craſſæ pituitæ, interdum tam moleſtæ, ut in conatu extuſſiendi propemodum ſuffocatio inſtare videretur. Multum liquidæ pituitæ ſine tuſſi exſpuebat, neque minor copia narium emunctione manabat, minor tamen ex oculis. Aliquot dies ſedens in lecto morbum tulit, ſed eo creſcente, ut ſpiritum duceret, lectum relinquere coacta fuit, & dies octo noctu diuque in ſella manere; poſt quos ingreſſa lectum, ut experiretur, ſi poſſet permanere, voti compos fuit, ſedendo tamen & capite aliquantum inclinato. Ad vigeſimum uſque diem nullus in ventre tumor, nullus in cruribus, aut altera corporis parte; poſt vigeſimum vel nullo facto augmento difficilis reſpirationis venter aliquantum intumeſcere cœpit, brachia circa carpum, ſed magis crura pedeſque, immo prope os ſacrum obortus eſt tumor magnitudine contractæ manus. Quinque circiter diebus poſt excitatum tumorem tuſſis aliquantum lenita eſt, imminuta ſputio liquidæ pituitæ, ſomni ſpatium productum. Numquam in toto morbi excurſu auditus eſt ſonitus inter reſpirandum, numquam editus motus valde vehemens muſculorum, licet decumbere non poſſet.

Lo-

Digitized by Google

Loquens tamen ſermonem proſequi non poterat ſine aliqua mora ob anhelationem, itemque liquida ſolum cibaria poterat ingerere.

Curationem auſpicatus ſum potione laxante ex manna & tartaro ſolutili, atque in decurſu morbi, ſi alvus ſubſiſteret, vel ſuppoſitorio, vel uncia mannæ, & drachma cum dimidia tartari ſolutilis ſatis ſolvebatur. Secta quoque fuit vena brachii, ſed inde nulla prorſus arctatæ reſpirationis facta laxitate. In leviore difficultate exſcreandi ſufficiebat aqua mulſa additis ſeminibus coriandr. præp. in fortiore aqua hyſſopi cum aliquot guttis ſpiritus therebintinæ, ejuſdemque ſirupo, nec alio linctu opus fuit; immo nullo poſt diem 25. Januarii. Impetu morbi conſiſtente appoſitum eſt occipiti non inutiliter veſicans, quod antea recuſaverat, inde protracto in plures horas ſomno, rarius & levius infeſtante tuſſi, ſive id operæ veſicantis tribuatur, ſive morbo mox ſponte declinaturo. Namque quum antea nulla ſpontanea ſalutaris excretio accidiſſet, circa finem Januarii duobus diebus uberior urinæ facta eſt vacuatio, præſagium futuræ ſalutis.

Tres Aſthmatis ſpecies deſignantur a Scholis, vocanturque Dyſpnæa, Aſthma proprie dictum, Orthopnæa, diſtinctæ ratione majoris, vel minoris gravitatis. Dyſpnæa eſt levior aliis reſpirandi difficultas. Aſthma proprie dictum, juxta deſcriptionem Riverii *de morb. Thor. cap.* 1. eſt magna & frequens reſpiratio, in qua diaphragma, muſculi intercoſtales tum etiam abdominis violenter moventur cum ſtertore & ſibilo conjuncta. Orthopnæa eſt maxima ſpirandi difficultas, in qua ægrotantes non niſi ſedentes, & erecta cervice reſpirare poſſunt, & non ſolum muſculi prædicti, ſed etiam

Digitized by Google

ſuperiores pectoris, & ſcapularum vehementer exagitantur. Ita vero conſtitutis tribus differentiis Aſthmatis ad nullam ex hiſce revocanda videtur affectio noſtræ ægrotæ. Fuit profecto multo major dyſpnæa; caruit tamen ſibilo & ſtertore, itemque motu violento muſculorum comitantibus aſthma proprie dictum. Orthopnæa igitur fuit conſiderata neceſſitate ſedendi ad reſpirandum, quamvis defuerit motus ille violentus plurium muſculorum orthopneæ aſſignatus. Neque vero in differentiis morborum requirendus eſt concurſus omnium ſymptomatum poſitus ab auctoribus in earum deſcriptionibus, quem ſi requireremus, multiplicandæ inutiliter forent differentiæ morborum. Cauſſam ejuſdem a toto corpore initium duxiſſe exiſtimo, ſcilicet a ſanguine multo ſeroſcatente; quod quum a natura regi non poſſet, & ablegari per commodas vias, delatum eſt ad partes ſuperiores. Præceſſerat conſtitutio pluvia, & auſtrina, ob quam alii multi in gravedinem inciderunt; quin immo quum multum liquidæ pituitæ etiam e naribus efflueret, vere affectus fuit anhela gravedo, ſive utriuſque copulatio. Aere igitur humido venas ſubeunte, externoſque meatus obſtruente; collecta copia lymphæ confluxit ad partes natura paratiores ad eam receptandam. Subſtantiam pulmonum, vel læves arterias partem primario affectam fuiſſe, non obſtructa bronchia in reſpiratione vacuitas ſtertoris ab illis obſtructis inſeparabilis declarat.

Riverius *lib. 7. de Aſth. cap.* 1. animadvertit in aſthmatis ſpecie carente ſtertore ſecta vena in paroxiſmo, quam primum ſanguis effluere incipit, ſtatim liberiorem reddi reſpirationem, & in fine educti ſanguinis, poſtve exiguum intervallum deſinere paroxiſmum; quod generatim verum non eſſe narrata oſtendunt. Erat difficul-

cultas ſpirandi, nullus ſtertor, detractus eſt ſanguis, nulla conſecuta difficultatis imminutio eſt.

Die 4. Februarii urina, quæ antea incœperat largior eſſe, abundantior manavit ſubſtantia, & colore parum a naturali recedens, contra quam in Autumatario nuper deſcripto; mihique indicio fuit ad ſperandam ſalutem. Ceterum quia aliquot dies alvus reſtrictior fuerat, ſumta dimidia drachma agarici trociſchati cum dimidia tartari ſolutilis, & uncia una mannæ pro indigentia laxata fuit, nec deſtitit nocte proxima, & die urinæ fluxus uberior fieri, adeo fructuoſe, ut tumor circa os ſacrum, & brachiorum circa carpum omnino evanuerit, & inde decliviorem decubitum ſuſtinere, ſolidumque cibum ingerere potuerit, extincto rubore faciei præter conſuetudinem aucto. Quatuor etiam ſequentibus diebus multum minxit, longeque copioſius hauſto potu, licet nihil præbitum ſit ad mictum promovendum præter ſirupum de therebintina, & aliquot guttas ſpiritus ejuſdem, ut eodem tempore catarrhi, & urinæ excretio adjuvaretur. Enimvero quo tempore incœpit uberius mingere, deſtiterat eo linctu uti, exſcreationis difficultate jam ſublata: ex quo liquido conſtat abſolutoriam illam evacuationem potiſſimum naturæ opus fuiſſe; propterea in morbis longis non ſemper ſalutem, ſicuti a pluribus creditur, primario ex viribus medicaminum, non naturæ expectandam eſſe, nec ita inſiſtendum medicamentis, & irritamentis, ut ejus vires enerventur, revocenturve ab opere ſalubriore.

Illud pariter in hoc morbo adnotatione dignum eſt, quod ægram numquam dejecto animo vidi, licet octo dies in ſella manſerit numquam inclinata, ſoloque jure vituli cum ovo conquaſſato nutrita, nihil ſolidi ſtomacho

Digitized by Google

admittente. Non ſine admiratione obſervavi, quam ſtrenue morbum ferret, ſine querela, ſine metu, quantum quodlibet beneficium ex remediis commendaret, extolleretque. Ægrotationis miram tolerantiam animadvertit Aretæus *lib.* 2. de Hydrope in laborantibus Anaſarca, eamque non ex animi alacritate & bona ſpe eſſe affirmat, ſed ex ipſa morbi natura, neque cauſſam dici poſſe, id tantum mirari licere. Similem ego tolerantiam in hac femina vidi in gravi diſſimilique morbo, non profectam ex iſtius conditione occulta, ſed ex animi alacritate victoriam præſagiente, atque ex eo robore, quod morbum ſubegit, hujuſque recurſum jam per quinque annos impedivit.

OBSERVATIO SEXTA.

De raro lateris dolore.

Aetius *ſerm.* 8. *cap.* 68. tractationem inſtituit de morbo, qui aſpectum habet Pleuritidis, caret natura. Perraro hæc affectio uſuvenit, atque, ut ait Aetius, inexpertis medentibus exhibet imaginationem Pleuritidis, alia exiſtente affectus conditione. Quum autem infrequens ſit hæc affectio, ortam opinor præteriri ſine ſpeciali animadverſione; nec ego de ea pertractantem alium offendi præter Aetium. Quum igitur hujuſmodi ægrotationem mihi Cremonæ intueri obtigerit, dum praxim cum præceptore ægros conveniens addiſcebam, ex inſtituto meo duxi eamdem ennarare & expendere.

Nobilis Hiſpanus D. Felix Pardo della Caſta arcis Cremonæ Gubernator ſub initio veris anni 1688. atrociſſimo coſtarum dolore correptus fuit. Febris primo morbi die

Digitized by Google

die valida videbatur ex calore naturali intenſiore per univerſum corpus fuſo: repugnabat pulſus, qui tardiſſimus erat, & oppido exilis, cujus frequentia proprium febris indicium exiſtimatur. Dolor in plures partes impetum fecit, primo in coſtas, & ſemper in iſtas fortiorem, ſubinde in partes circum diaphragma, ventriculum, atque hæpar. Reſpirationis difficultas maxima, urinæ ſubrubræ, craſſæ turbatæque, alvus in totum reſtricta. Poſt primos tres dies calor non parum imminutus eſt, dolor vehementior redditus, qui per admota anodyna externa locum mutabat, non acerbitatem. Hiſce ſævientibus cruciatibus accerſitus eſt Mediolano magni nominis Profeſſor, quem Præceptor meus expectans mecum diſſerebat de idea morbi, nil habens, quod certi conſtitueret, & ab altero Medico approbaretur. Quum autem pridie legiſſem Aetium deſcribentem falſam imaginem Pleuritidis, aſſerui dubitanti Præceptori, ex eo auctore ſuppetere veram morbi rationem. Hæc aſſerenti præſtitit dubiam fidem, & ſtatim ſe domum meam contulit, lectoque libro dubitationem depoſuit de qualitate affectionis: quodque ex Aetio didicerat alteri Medico exponens, plane fuit approbatum, ejuſdemque animadverſione inita curatio; quæ nihil profuit die ſexto ab inchoata ægrotatione mortalitate expleta.

Omnia profecto non concurrerunt ad amuſſim in hoc ægroto ab Aetio narrata, quemadmodum in morbis ejuſdem ſpeciei in diverſis temperaturis, immo in eodem homine diverſo tempore laborante non ſolent omnia præteritis eſſe ſimilia; quibus nihilo ſecius alia ſpecies morbi non conſtituitur. Adfuit quoque externa præparatio relata ab Aetio, nempe congeſtio crudi viſcoſique humoris, qualis generatur ex bulborum, fungo-

gorum, & ſimilium eſu; quibus frequenter utebatur ægrotus pro delicia menſæ, & inde parta crudorum craſſorumque affluentia lethalem morbum excitavit. Invaſit iſte cum calore febrili ſimili, pulſu febricitanti diſſimili, minimo & tardiſſime moto, qualis ab Aetio deſcribitur, nec inflammationem indicante tamquam cauſſam doloris; qui ſcilicet calore imminuto auctus eſt, reſpirationis difficultate perſeverante. Hanc Aetius adjudicat crudis viſcoſiſque humoribus, qui ſeſe in vacuum thoracis locum repente ingerunt; aut in ipſum pulmonem, & multitudine ſua coſtarum membranam diſtendunt. Huc adde, ab eiſdem humoribus obſtrui læves arterias, atque in promtu habebis idoneam cauſſam pulſus exilitatis tantæ, & tarditatis.

Raro admodum incidit hæc affectio, aut incidere creditur ob ſimilitudinem cum Pleuritide, cum qua procliviter confunditur, errorem creante eodem loco affectionis, & aliquorum ſymptomatum ſimilitudine: idque mihi in cauſſa fuit, cur hanc obſervationem conſiderandam obiecerim, iiſque præſertim, qui in quolibet dolore lateris ſtatim ad ſanguinis effuſionem confugiunt, eamque copioſam & repetitam, teſtante Aetio, quoſdam Medicos errore ſeductos cubiti inciſa vena, multoque ſanguine evacuato mortis cauſſam præbuiſſe.

O B-

Digitized by Google

OBSERVATIO SEPTIMA.

Graviſſima Peripneumonia, in qua urina magnum habuit momentum ad præſagium.

FRanciſcus Pochini nobilis Patavinus annum agens circiter 19. quum ſæpius vehementiore corporis exercitio incaluiſſet, & noviſſime etiam potu vini Cyprii die 22. menſis Maii anni 1725. ad veſperam incœpit febrire, tuſſire, & latere dolere; mane proximo videns ſputum cruentum, intenſam febrim, præmiſſo clyſtere ſanguinis uncias 10. detrahi ex brachio lateris affecti juſſi. Dolor non erat valde intenſus, pulſus potius mollis, quam durus, undoſus quoque. Poſt ſanguinis detractionem dolor lateris imminutus eſt, itemque febris, perſeverante tamen ut antea ſputo cruento, in quo plus erat ſanguinis ſpumoſi, quam ſalivæ, immo quædam ſputa in totum erant ſanguinea. Ad veſperam recruduit febris cum dolore, ſed magis febris dolore. Poſtridie mane iterata eſt ſanguinis eductio, in quo ſolita cruſta apparuit. Die tertio morbi acceſſit etiam ad curationem Excell. Sanlio, atque quum æger quereretur de ventris dolore, & artuum, porrectis unciis duabus mannæ cum unciis 4. olei amigdalarum dulcium, multa cruda biliosaque egeſta ſunt: ſed veſpere febris increvit, numquam ſputum cruentum deſiit. Quarto nihil præſtitum præter decoctionem hordei additis floribus papaveris rheados, violarum, jujubis, & ſeminibus malvæ, qua initio morbi uti cœperat. Quinto mane ductæ ſunt unciæ ſex ſanguinis ex eadem parte ob adauctam anteacta nocte febrem, dolorem, laboremque reſpirationis.

Die

Digitized by Google

Die ſexto ab propinatis unciis 4. olei amigdalarum dulcium ter biliosa dejecit, febriſque cum dolore leniri viſa eſt. Enimvero die proximo omnibus in deterius ruentibus advocatus eſt in conſilium Excell. Laurentius Baccheti, cujus ſententia inciſa fuit vena manus lateris ſani: ingens nihilo minus eodem die fuit anguſtia reſpirationis, ejectaque ſputa aliquot ſanguinea rotunda. Ab octavo die ad decimum uſque idem morbi ſtatus, ſed nocte decimi exſpuit multum ſanguinis admiſtum pituitæ mediocriter craſſæ. Ex intervallis aſperabatur lateris dolor, numquam tamen cum vehementia, nec ſpatio notabili. Dies 12. valde moleſtus, & ominoſus. Urgebant vigiliæ, tuſſis, reſpirationis difficultas tanta, ut totus thorax multum attolleretur cum ſonitu inter reſpirandum extrema minante. In hiſce anguſtiis non tamen ſemper æqualibus pæne duos dies permanſit, quibus neque pulſus, neque reſpiratio conceptum metum imminuit. Solum poſt diem 14. ſpes aliqua affulgere incœpit ex remiſſione febris funeſtique comitatus, crevitque paullatim, expletaque poſt vigeſimum diem.

Sæpe ſimul inflammari poſſe pulmones, pleuramque partium propinquitas arguit, cadaverum diſſectio confirmat. Ob hanc partium propinquitatem, adhæſionemve Johannes Freind affirmat *com. 5. de Pleurit. & Peripneumonia* contigiſſe, ut ab Antiquis, & Recentioribus confuſa, & implicata Peripneumoniæ, & Pleuritidis deſcriptio idcirco tradita fuerit, propterea quod Veteres utrique eaſdem notas aſſignarunt; quæ tamen ad Pleuritidem pertinent, conjunctam cum Peripneumonia. Recentiores vero plerique vix ullum inter hos morbos diſcrimen ponunt præter gradus diſſimilitudinem. Quicquid,

Digitized by Google

quid tamen hac animadverſione auctor contendat, videtur deſcripta affectio plus habuiſſe peripneumoniæ, quam pleuritidis, argumento pulſus mollis, & undoſi, non duri, qualem profert inflammatio membranarum, uti probat Johannes Freind loco citato contra Riverii reformati editorem, & Johannem Manelſum: idem etiam comprobat ſputum ſpumoſo ſanguine conſperſum, qualem videmus e vaſis pulmonum proxime efferri. Enimvero longius de hoc non diſſeram, qui ea potiſſimum ratione hanc hiſtoriam retuli, quod mihi adnotatione viſum eſt dignum, urinam, quam ſemper diligenter exploravi in tota ægrotatione plurium dierum, eaque graviſſima, nihil umquam ominoſi exhibuiſſe, neque fallacem ſpeciem præſetuliſſe; fuit illa ſubruſa, craſſaque mediocriter; immo quo tempore facies morbi funeſtiſſima erat, ægerque in magnis anguſtiis, magis accedebat ad urinas ſanorum colore, ſubſtantia, contentiſque, exituſque oſtendit plus iſtam habuiſſe momenti ad fauſtum præſagium, quam reliqua ad infauſtum. Haud me latet, multos, & præ ceteris Petrum Foreſtum *in tractatu de incertitudine urinarum cap.* 4. aſſerere urinam multis in morbis fallacem eſſe, & maxime in febre peſtilenti, morbis pectoris, pleuritide, peripneumonia, aliiſque, cauſſatus inflammationes in ſolidis circumſcriptas eſſe. Enimvero quamvis ſputa, & reſpiratio in illis plus habeat ponderis ad præſagitionem quam urina, hanc numquam deſtiti expendere, numquam ejus indicia parvi feci edoctus ab Hippocrate, qui in Coacis prænotionibus ex urina proſpicit eventum Pleuritici, & num. 1. & 4. loco citato ex urina cum rubra levique ſubſidentia ſecuram judicationem conjectat. In urina noſtri ægroti nihil quidem conſidit, ſed fundum verſus aſpi-

N cie-

Digitized by Google

ciebatur nubes ſubrubra, & color liquidi, qui antea rubicundior erat, deteriore vigente aſpectu morbi, minus rubicundus apparuit; unde diſſenſum urinæ aliorumque ſignorum admirabar. Exitus obſervationem Hippocratis confirmavit de bono omine urinæ in Pleuriticis, oſtenditque, interdum bonum ſignum multis pravis prævalere, & nihil in morbis, eodem Hippocrate monitore, negligendum eſſe, tum ad eos cognoſcendos, curandoſque, tum præſagienda futura. Qui vero inflammatis pulmonibus, aut pleura non multi pendunt urinæ conſiderationem, quod morbi ſedes figitur in ſolidis extra venas, parum quoque animadvertunt, inflammantem humorem e venis fluxiſſe, & fluere, omnia in corpore conſentire, & conſpirare, atque ex conditione ſanguinis declarata per urinas haberi poſſe non infirmas notas venturi, immo idemtidem probabiliores, quam ductas ex colore ſanguinis, habitu, cruſtaque concreti: ex quibus ſane Hippocrates non collegit præſagium ſicuti ex urina.

OBSERVATIO OCTAVA.

Pleuritis cum dolore deſcendente deſinens in Empyema feliciter ſuperatum inter gravia Laborantis errata.

CArolus Santucius Rhedarius temperamenti bilioſi, tuſſiculoſus annor. plus minus 50. circa dimidium Aprilem anni 1735. cœpit tentari dolore ſiniſtri lateris ad inferiora protenſo, nec valde acuto, cum pulſu depreſſo, & ſolum vigente febri elatiore, quæ mane levior erat, gravior adventante nocte, ut ſæpe in hiſce mor-

Digitized by Google

morbis uſuvenit. Aderat tuſſis, ſed qualis antea ſolebat; ſimiliſque exſcreatio. Acceſſitus ſecundo die morbi nondum ſat certus de ejuſdem conditione, habitoque reſpectu doloris deſcendentis, præbui olei amigdalarum dulcium de more parati uncias 5., conſecutaque eſt non infra votum dejectio. Dolore tamen non remittente, gliſcentibuſque Pleuritidis indiciis detractæ ſunt octo circiter ſanguinis unciæ. Apparuit impenſe niger, durus ad incidendum, obductuſque multa, & flaveſcente cruſta. Toto eo die & proximo morbus in eodem ſtatu conſtitit, ſed nocte tertii diei ab inchoata curatione febris, dolorque incrementum cœperunt; ideoque mane eadem quantitas ſanguinis detracta fuit nigrioris primo, majoris duritiæ, flavæque denſationis tres digitos tranſverſos altæ. Poſt ſex horas a ſanguine educto incœpit ſputum Pleuritici aliquantum flavum, ſanguine interpunctum, & ſine magna difficultate elicitum. Febris ad diem uſque nonum perſeveravit acuta, deinde aliquanto remiſſior ad diem uſque 14., quibus remiſſionis diebus tuſſis frequentior fuit cum exſcreatione paucæ pituitæ leviter flaveſcentis, aliquando ſanguine ſparſæ, ſæpius ſine aſperſione, eadem difficultas anhelitus, frequentes vigiliæ. Poſt diem 14. adeo febris imminuta eſt, ut ſæpe ambiguam ſui ſignificationem præberet, interdum certam, permanente tamen tuſſi moleſta cum craſſo ſputamine numquam notabili quantitate, modo tamen majore, modo minore. Levior lateris dolor ſuperfuit, & tantummodo moleſtior jacendo ſupra morbidam partem, quæ paullum intumuit die 25.. Urina fuit ſex dies craſſa, nigra, turbata cum nigro ſedimento, ſolumque clarior evaſit poſt ſpontaneam ventris ſolutionem inchoatam circa diem 17. & dies 12. continuam.

Digitized by Google

Quotidie terque quaterque, interdum pluries copioſa, liquida, cruda, bilioſa excernebat. Ab hiſce vacuationibus pulſus, qui depreſſus erat, altior emicuit, vireſque ita paullatim refectæ ſunt, ut poſſet pluribus horis extra lectum ſingulis diebus ſedere. Dies 5. in hoc ſtatu valetudinis exegit, noctu tamen tuſſi non leviter vexatus. Sexto poſt meridiem frigore correptus, & febri coactus eſt plures dies decumbere, quater ſimili febre redeunte hora tamen diverſa: quo tempore crura circa malleolum paullum intumuerunt, itemque facies, pectuſque, incœpitque extuſſire materiam fœtidam cineritii coloris viridi affinis, poſtque 4. vel 5. dies deſtitit, remanente tuſſi cum eductione paucæ pituitæ craſſæ. Poſtea febri, quæ poſtremo ſupervenerat, liberatus tantum virium ſenſim acquiſivit, ut lectum iterum relinquere poſſet, noctesque quietiores ducere, mitigata tuſſi. Aliquot diebus poſt mitigationem reverſa exſcreatio cineritii coloris, graveolenſque quadraginta dies & ultra perſeveravit, ſenſim tamen cum decremento fœtoris & copiæ; viribuſque eodem tempore refectis, menſe Auguſti ad ſolita vitæ munia, exceptis admodum laborioſis, redivit: quibus poſtea obeundis par evaſit, atque in præſens priſtina valetudine perfruens laborem rhedarii ſuſtinet, cumque ita validis viribus, ut tam gravi morbo & periculoſo non laboraſſe videatur.

Curationem deſcriptæ ægrotationis quemadmodum peregerim, & quid inde colligam, accipe. Primis novem diebus propinavi decoctionem hordei cum floribus papaveris rheados, violarum, & modico liqueritiæ, neglectis dente apri, cinere priapi tauri, ſanguine hircino, ſimilibuſque, & urgente ſiti adjeci nitrum purificatum. Solvi principio ventrem unciis 5. olei amigdalarum

larum dulcium ; itemque unciis 4. die 6., & 10. repetendique ratio fuit difficultas exſcreandi , dolor lateris , alvi conſtrictio , quæ inde laxata eſt , aliaque imminuta aliquantum impedimenta . Remittente febri, & perſiſtente tuſſi cum difficili ſcreatu propinavi aquam mulſam factam in decoctione ſcabioſæ , deinde decoctionem ſcabioſæ aliquando cum oximeli , aliquando cum ſirupo de althea , aut decoctionem radicis altheæ & caricarum; quarum potionum leviter calentium frequenti hauſtu , inſtigantibus ſiti , tuſſique non parum adjuvabatur . Hiſce remediis utens fere per menſem integrum obſervavit idoneam cibandi rationem ; poſt quem ablata in totum appetentia boni cibi omnem curam ſalutis abjecit , unicam habuit comedendi , quicquid gratius futurum palato videbatur ; primumque comedit aſparagos oleo & aceto conditos , panemque in condimento intriſum. Inde exaſperata tuſſi , difficultate ſpirandi , noctis inquiete per aliquot dies congruentioribus cibis paſtus eſt ; ſed hos iterum recuſanti palato indulgere decrevit , comedendo fructus horarios acidos , legumina , caſeum ſalitum , & quicquid ſuadebat appetitus ; hocque ſuadente ſanus manducaſſet, excepta quantitate, quæ modica erat. Ceterum peccanti palato , & morbo reſtitit numquam proba diæta uſus , niſi quum appetentia permiſit , vel coegit vis affectionis adaucta ; nihilo tamen ſecius alvo fere ſemper indigentiæ reſpondente , ſenſim proceſſit ad ſalutem , magna commendatione naturæ , quæ pæne nolenti ſanitatem elargita eſt . O admirandam naturæ providentiam ! quæ nuſquam luculentius apparet, quam in medicatione pauperum : maxima, ſi attendimus , magiſtra , in qua non lucri cupiditas , non timor amittendæ famæ, non conſuetudo popularis, non domeſticorum inſti-

inſtigatio, nec alia animi perturbatio ſuadet ſuperflua, vel adverſa naturali molimento. Ergo licet ſanguis primo eductus ea tulerit indicia, quibus juxta morem multorum ad veſperam eductio renovanda erat, hanc prætermiſi etiam proximo mane, & ſolum exſecutioni mandavi mane quarti diei ob febrem, doloremque adauctum nocte prægreſſa, tempuſque revulſionis, & derivationis nondum præterlapſum. Eductus ſecundo ſanguis undique videbatur deterioris conditionis primo; qui tamen mihi argumento non fuit iterandæ venæ ſectionis, propterea quod æger quinquagenarius erat, tuſſiculoſus, craſſæque pituitæ ferax. Neque vero tanti feci intenſam ſanguinis nigredinem, duram, copioſam, & flavam concretionem, ut plus levaminis ſperarem ab repetita effuſione, quam ex ſolis viribus naturæ. Quin etiam ſi ſecundo emiſſus ſanguis pejorem aſpectum habuit, cur tertio effunderem, quaſi per tertiam effuſionem poſſet corrigi vitium, quod in ſecunda gravius apparuit? Niſi hæc animadverſio momentum habebat ad deſiſtendum ab effuſione, fortius non occurrebat ad renovandam; in qua ambiguitate tutius quietis conſilium inivi. At enim Hippocrates jubet duci ſanguinem uſque ad coloris mutationem. Utique id jubet, ſed in una eademque emiſſione: quod præceptum, ſi exſequi vellemus, in multis laborantibus hauriendus eſſet ſanguis ad animi deliquium uſque, quod vehementer pernicioſum creditur in morbis pectoris; ideoque ea praxis in præſens deſeritur. Quinimmo Aretæus, Aetius, aliique Majores neque confeſtim, & unica vice, neque pluribus uberem ſanguinem detrahunt, metuentes ne per copiam detracti Pleuritidi Pulmonia accedat. Neque vero illi præcepto parent Recentiores ſæpius inſtaurantes venæ inciſionem,

ſi ſan-

Digitized by Google

ſi ſanguis extractus niger ſit, duruſque cum ſuperficie denſata in ſuccum degeneris coloris. Hippocrates enim obſignat venam, non ſolum facta mutatione impuri, lividique ſanguinis in rubicundiorem purioremque, ſed etiam rubicundioris purioriſque in lividum impurumque; contra quam ſolent bene multi Recentiores, qui non ceſſant ab vulneranda vena, niſi ſanguis ater, durus, cruſtaque tectus majori ex parte hanc ſpeciem deponat, quamvis ſæpe mors expectatum præveniat. Neque vero addit animos ad toties iterandam venæ ſecturam rationabilis ſpes diſſolvendæ inflammationis ſine ſuppuratione ad hanc tendentis, uti numeroſis experimentis conſtat, ex quibus illud non prætereo habitum in filio D. Calvieres 20. annos nato, cui Pleuritide detento decies & ultra detractus eſt ſanguis, nec inhibita ſuppuratio narrante Riverio *Centur.62. Obſervat. 79.*

Præter indicata remedia nil aliud præbui niſi bolos ex therebintina Veneta cum pulvere liquiritiæ, quum vidi ſuppreſſam exſcreationem, ægerque doleret de pectoris gravitate. Parti affectæ poſt primam detractionem ſanguinis admotum eſt oleum cucurbitæ, & unguentum pectorale, & magis ſæviente dolore ante unctionem fomentum ex decoctione florum chamemæli & meliloti, quo magis mitigabatur, quam ſola inunctione. Quum intumuit latus morbidum oblinitum eſt unguento altheæ, ſed inde potius aucto quam imminuto dolore, ſubſtituta eſt miſtura butiri & olei amigdalarum dulcium non ſine levamine, brevique tumor evanuit.

Morbum deſcriptum notham Pleuritidem fuiſſe arguit decubitus valde moleſtus ſupra partem affectam, facilis ſupra ſanam; quo indicio ex communi ſententia notha a vera ſecernitur; atque Fernelius illius ſedem figit in muſ-

Digitized by Google

muſculis extrinſecus coſtis incubantibus; veræ in muſculis interioribus, vel ipſa pleura, vel utraque parte deſumens diſcrimen inter veram nothamque Pleuritidem ex ſolo ſitu non ex vacuitate inflammationis, aut febris, uti fecit VVilliſius conſtituens notham in humore flatuve congeſto in muſculis intercoſtalibus, vel eorum interſtitiis abſque inflammatione febrive. Verumtamen quum facilis ſit permutatio nothæ Pleuritidis in veram, uti oſtendit idem Fernelius, opinor in hoc ægroto ita contigiſſe, materiam collectam eſſe inter muſculos meſupleurios ipſamque pleuram, uti probant conſecuta; tametſi ex hac collectione decubitus moleſtus ſupra partem ſanam redditus poſtea non fuerit, qualis ex ſententia Fernelii reddi debuiſſet. Dolor vero infra ſeptum tranſverſum extendebatur propter copiam vitioſi humoris, qui ſuo pondere deorſum tractus, uti interpretatur Proſper Martianus, partibus inferioribus dolorem communicat; & inde trahit rationem, cur Hippocrates ex deſcenſu doloris purgationem, minime phlebotomiam injungat. Favent ſpeculationi Martiani ſigna copioſi mali ſucci teſtata urinis nigris, & largis dejectionibus. Quare, niſi velimus parere Hippocrati imperanti abſtinentiam phlebotomi in Pleuritide dolore deſcendente, a quo Galenus, aliique bene multi diſſentiunt, ſaltem inde monemur de uſu parciore ejuſdem quam in dolore aſcendente. Et ſane ſi accidiſſet hic morbus diviti ægroto, tradito curationi Medici devoti in hac affectione pluries aperiendæ venæ, nullo temporum habito reſpectu, neſcio an naturalis morbi curſus confici potuiſſet, qui & longus fuit, multaſque tulit vacuationes. Paupertas arcuit id periculum, ſuperfluitatem, & detrimentum remediorum, naturaque quaſi ægroti miſerta, & jure ſuo uſa largius ſuc-

Digitized by Google

ſuccurrit maturata phlegmone, ejuſque materia feliciter extuſſita. Suppurationem futuram portendit ſputum, quod primis diebus quantitate vix mediocri incœpit, non perſeveravit; itemque fieri indicavit rubor genarum, de quo loquitur Hyppocrates in Prognoſtico, qui etiam ſedato febris impetu integrum menſem & ultra permanſit; indicavit etiam magna cibi averſatio cum difficili reſpiratione, tuſſi, & frequentibus vigiliis. Lente tamen proceſſit ſuppuratio, tardeque ruptus abſceſſus eſt, eoque ſolum tempore, ut opinor, quo invaſit febris cum rigore excitato ex roſione membranæ, poſt quam tantummodo puris, ſeu materiæ purulentæ exſcreatio comparuit; quæ tamen intra paucos dies ceſſavit, forſitan ob comeſtionem acidorum in hac affectione pernicialium, obve inchoatam non perfectam materiæ congeſtionem & præparationem. Rupto apoſtemate ſucceſſiſſe Empyema pectoris gravitas, moleſtiæ ſenſus in mutatione ſitus, permanens difficultas anhelitus cum impedimento decubitus, rubor genarum, febricula oſtendunt, ſed præ ceteris ex obſervatione Riverii, inflatio cutis tactu preſſuque dolens; qua tamen brevi evaneſcente nil cogitavi de ſectione lateris. Quum autem negligens eſſet rectæ dietæ, atque ex intervallis gliſceret moleſtia ſymptomatum, ſæpe mutata eſt conditio valetudinis. Ceterum in hiſce mutationibus vires plerumque conſtantes, & alvus juxta indigentiam laxa ſignum fuerunt victricis naturæ, cujus abſolutorium apparuit in reverſa fœtida exſcreatione, diuque perſiſtente; idemque dies hujus finis fuit, & principium futuræ perfectæ ſanitatis: quæ quidem tot erratis in victus ratione retardari potuit, non impediri. An miraris naturam in hoc ægroto ſuperaſſe edulia contraria periclitanti ſaluti? Hæc ipſa vis naturæ

O prin-

princeps medicatrix niſi in ægrotis permultis ſuperaret remedia importune adminiſtrata, vel medicina exul jaceret, vel tot opificum altrix non eſſet. Porro ex hac victoria naturæ adverſus eſum pravi cibi habent, quod diſcant, qui obliti præcepti Hippocratis *laborantibus gratiæ*, apicem medicinæ exiſtimant, nihil ægroto indulgere, omniaque obtrectationi expoſita graviter prohibere. Ipſe quoque vetui, quæ infeſta judicabam, ſed horum uſu videns formidata non obvenire, intellexi plus roboris viſceribus aſſervari, quam apparebat, unde excitabatur deſiderium ciborum etiam ſanis difficilium ipſam coctionem adjuturum. Verumtamen in tanta dejectione appetentiæ non inutile omnino fuiſſe credendum eſt, quod unicum comedi poterat, & palato arridere.

Duo occurrerunt in hoc ægroto prima facie ominoſa, urina nigra, alvique fluxus. Quum vidi urinam nigram, qualem antea in hujus morbi genere non videram, nec ab aliis viſam intellexeram, & novitate commotus ſum, & judicio Medicorum, eum colorem fundi ab humore melancholico; a quo Petrus Foreſtus in ſcholio obſervationis de Pleuritide pituitoſa animadvertit, rariſſime produci Pleuritidem, productamque raro, aut numquam curari, & fere ſemper in tabem permutari. Enimvero nihil inde in deterius augeri videns, cenſui ſalubrem excretionem eſſe aliquid efferentem, unde ſanguis tam impenſe nigricabat. Revera copioſis excretis quiſquiliis per alvum urina craſſitiem depoſuit, & nigredinem, flavaque aliquantum evaſit, ablata dejectionibus excrementorum copia partim antea ad vias urinæ delata. Porro in Pleuriticis fieri alvi fluxum rariſſimum non eſt, rarius ſolum eſt utiliter fieri, atque in multos dies protendi,

Digitized by Google

tendi, ideoque Hippocrates edixit *ſect. 6. Aphor. 16.* Pulmonea, aut Pleuritide detento alvi fluxum ſuccedere malum eſſe; quod tamen Valleſius interpretatur de Pleuriticis ad tabem perductis. Ceterum ſi in aliqua Pleuritide alvi profluvium conducibile eſſe poteſt, id maxime eſt, in qua dolor deſcendit, admiſſa deſcenſus cauſſa a Proſpero Martiano aſſignata. Tale fuit in hoc ægroto, quod multum imminuens excrementorum copiam pulſum opprimentem expeditiorem reddidit, vireſque naturæ addidit ad inchoatam ſuppurationem perficiendam, poſtmodum ejus materiam extrudendam, partemque conſolidandam. Quanti periculi fuerit expoſitus morbus neminem noſtrum latere poteſt; fateorque non ſemel exſtitiſſe notas, quibus plane ejus ſalutem deſpondiſſem, niſi ſpem ſuſtinuiſſet ſingularis quidam vigor oculorum, & acrimonia non audax intuendi fere numquam debilitata. Multum morbidi erat in conſpectu, multum tamen integri nuntiabant oculi recondi, dictante Hippocrate *Lib. 6. morbor. popul. ſect. 4. Ut oculi valent, ita & totum corpus.*

OBSERVATIO NONA.

Pleuritis in Femina lactante.

Perilluſtris Juſtiniana Bruſoni annor. 38. temperamenti ſanguinei & billoſi, die 3. Martii anni 1715. incœpit decumbere detenta febre cum dextri lateris dolore, & tuſſi ſicca, quæ tamen etiam pridie febricitaverat. Creſcente febri, quæ cum levi frigore invadebat, dolor lateris augebatur, & vigente ingens capitis dolor ſæviebat cum ingenti ſiti. Die 3. decubitus

acceſſitus, cognitoque pluribus diebus alvum ſuppreſſam fuiſſe, injectus eſt clyſter, quo plura bilioſa excreta ſunt, deinde amota lactatione, detractæ ſanguinis unciæ 8. ex brachio lateris affecti, collectæque in diverſis vaſis. Trium primo eductarum pars exterior obducebatur cruſta magnitudine pennæ anſerinæ multo ſupernatante ſero. In reliquis unciis tota moles rubra erat, nihilque diverſum habens in ſuperficie, e quibus nihil ſeri ſeparatum eſt. Utriuſque tamen ſeparatim collecti ſanguinis moles dura erat, atque ſectioni non parum reſiſtens. Die educti ſanguinis hora ſolita crevit febris, ſed levior, dolorque lateris aliquantum remiſit; ceſſavitque capitis dolor, quo etiam ante febris adventum ſolebat vexari. Nocte tamen proxima febris, dolor lateris, & tuſſis invaluerunt. Mane conſecuto poſt apertam venam tali in latere affecto hora 19. ut aliis diebus ſolebat, exacerbata febris eſt cum levi frigore, intenſaque ad multam noctem perſeveravit, eademque nocte per horam dimidiam dolor lateris acerbiſſimus fuit. Die 6. incœpit humectari tuſſis, quæ antea fuerat ſicca, eduxitque aliquot ſputa ex flavo alba, & rubente ſanguine aſperſa; eodemque die mane ad alvum valde reſtrictam ſolvendam propinavi mannæ uncias 2. ſolutæ aqua malvæ cum modico tartari ſolutilis, & paullo poſt uncias 3. olei amigdalarum dulcium; quibus retentis longo ſpatio, veſpere multa bilioſa dejecta ſunt. Nox proxima quietum ſomnum tulit, remiſſionem doloris lateris tuſſiſque, nullamque exſcreationem. Febris ad diem uſque 8. ſervavit formam tertianæ duplicis continuæ invadentis cum levi frigore & horrore, notabiliter declinantis, ſtatiſque horis revertentis. Potus toto ægrotationis curriculo fuit decoctio florum violarum, papaveris

Digitized by Google

veris rheados, & jujubarum, quem meo aſſenſu large potum horis idoneis jucundum ſimul, utilemque experiebatur. Ab octavo ad undecimum diem uſque febris ſemper remiſſior, ut admodum exigua ſuperfuerit; ſed nocte undecimi parum dormivit, frequenter tuſſiit abſque ullo febris incremento. Die 12. acceptis duabus unciis mannæ, totidemque ſirupi roſati ſolutivi, & drachma tartari ſolutilis, bilioſa dejecit, aliqua concocta, alia liquida & impenſe flava. Nocte proxima multa extuſſivit ſpumoſa leviterque ſanguine interpuncta, nec ullum deinde remanſit morbi veſtigium.

Febrem conjungi cum Pleuritide extra controverſiam eſt; illud tamen controverſum, utrum febris ſit accidens inflammationis, an inflammatio febris, inde orta dubitatione, propterea quod vel ſimul utraque affectio invadit, vel febris Pleuritidem præcedit. Sennertus, Sidenhamus, Verna, aliique exiſtimant plerumque Pleuritidem eſſe accidens febris, quæ producitur ex peculiari inquinamento ſanguinis, vi cujus incaleſcens agitatuſque impetum facit in pleuram, effuſuſque eam inflammat. Verumtamen ſi in aliquibus ægrotis dubitari poteſt, utrum pleuritis febrem conſequatur, an iſta pleuritidem, certe dubitandum non videtur, deſcriptam pleuritidem accidens febris fuiſſe ex forma febris cum levi frigore, & horrore tot dies inſtauratæ, ex remiſſione doloris in declinatione notabili febris, & ejuſdem augmento adaucta febri. Quum primum invadit febris Pleuritidis, ſolet præcedere frigus cum rigore, uti notat Hyppocrates *lib. 2. de morb. num.* 40., & pluries obſervavi; non tamen ſolet ſimiliter recurrere, nec ad declinationem tantam pervenire, nec dolorem tam inconſtantem comitem habere. Eadem conſideratione colligo

in

Digitized by Google

in hac femina potius quoddam tentamentum inflammationis fuiſſe, quam veram inflammationem cum collectione ſanguinis intra Pleuram. Ante declinationem univerſalem febris ſolum die 6. pauca extuſſivit, & rubente ſanguine permiſta; in fine morbi unica nocte copioſior fuit exſcreatio, ſed nihil efferens, unde poſſit argui præterita inflammatio. Quemadmodum igitur in acceſſionibus tertianæ febris ſæpe excitatur dolor capi ti a ſanguine fervente eo tranſmiſſa materia feriente meni branas; item in augmento hujus febris vel nova portio materiæ pellebatur in vaſa Pleuræ, vel quæ aderat magis fervefacta turgenſque dolorem intendebat. At undenam fluxit ſanguis rubicundus, quo aliquot ſputa ſparſa erant? Excalefacta præter naturam pleura etiam pulmones incaleſcunt, ſanguiſque intra vaſa: ex quibus magis tumentibus nil mirum in conatu tuſſis aliquid ſtillari poſſe, etiamve ex vaſis laryngis, aut tracheæ.

Pauca ſanguinis quantitas huic ægrotæ detracta fuit in morbo, in quo plurimorum mos eſt largiorem iterato detrahere, non alia ratione niſi ex conſuetudine, quaſi omnium ægrotantium ratione temperamenti, ætatis, aliorumque accidentium conditio par eſſet; quaſi omnis pleuritis eſſet ejuſdem gravitatis, ab eiſdem cauſſis genita, nec eſſent pleuritides ſine venæ ſectione curandæ, quales ait Galenus parvas eſſe, quales & ego vidi curatas. Utrumque præſidium adhibui, phlebotomiam & purgationem, ſed nocte ejus diei, quo pertuſa eſt vena, invaluerunt febris, dolor lateris, tuſſiſque. Nihil horum obtigit ejus diei nocte, qua accepto pharmaco multa bilioſa egeſſit; immo remiſſa omni moleſtia quiete dormivit. Eventum poſt remedia uſurpata imputes, ſi placet, diverſitati temporis morbi, & diverſæ

verſæ humorum præparationi: quod evenit narravi.

Quoniam mos in hiſce regionibus obtinuit, ut poſt apertam venam brachii in mulieribus, paullo poſt, aut veſpere ejuſdem diei vena tali reſignetur; rarius mane proximo ex vulgata opinione, humores ad caput aſcenſuros nocenter eſſe, niſi retineantur ab vulnerato talo; occurrit animadvertere in noſtra ægrota, quo die effuſus eſt ſanguis e vena brachii, talum ſectione immunem fuiſſe, & nihilominus capitis dolorem ceſſaſſe. Mane proximi diei mehercle non timebam raptum humorum ad caput, multoque minus timendus erat. Fautoribus Circuitionis, qui volunt, intra horam pluries eam renovari diſtribuentem æqualiter omnibus vaſis ſanguinem; tamen modicum ſanguinis detractum eſt, ut viderer morem gerere Conſanguineis optantibus, & caverem, ſi dolor reverſus eſſet, ne omiſſæ tali inciſioni a vulgo tribueretur, ſemper ad errorem parato, & Medico imputandum, quod ignorat, unde obvenerit. Id autem proclivius feci, quod cum ratione ſperabam, nihil mali ex tribus unciis educti ſanguinis in femina vigentis ætatis eventurum eſſe.

OBSERVATIO DECIMA.

Dolor lateris ex Rheumatiſmo prægreſſo.

PErilluſtris Virgo annor. 16. temperamenti ſanguinei, aliquantum bilioſi circa finem anni 1737. paſſa eſt morbillos, quibus diſcuſſis incœpit pati leves dolores vagos, frequentiores tamen in latere dextro, itemque crebram ſpuitionem. Die vero 25. Martii anni proximi correpta fuit febri continua acuta cum tuſſi & dolo-

Digitized by Google

dolore lateris dextri exteriores muſculos occupante, qui preſſu manus aſperabatur. Incœperant ante ejus aggreſſionem fluere menſtrua, ſed ſolito parcius, & febri adoriente vomuit multa bilioſa. Curationem auſpicatus ſum propinando uncias 4. olei amigdalarum dulcium ad laxandas magis vias uteri, alvique, reſponditque votis actio medicaminis alvo incitata, & lunari purgatione; quæ tamen die 27. penitus ceſſavit. Ingenti ſiti premebatur a primo febris ortu, cujus ſedandæ gratia ſumebat aquam malvæ incoctis floribus violarum, & papaveris rheados. Hora prima noctis ejuſdem diei dolor increvit cum difficultate ſpirandi; propterea ſecta eſt vena brachii mediocri ſanguinis quantitate detracti ante horam ſecundam, & mane unciis 4. ex talo. Uterque apparuit opertus cruſta ex albo flava. Poſt extractionem, quæ antea increverant, remiſſa ſunt. Die 28. poſt horam 22., quo tempore eam inviſi, nec febris erat intenſa, nec dolor. Verum circa horam 2. noctis increſcens febris auxit dolorem, laboremque ſpirandi leviore tamen incremento quam nocte præcedente. Domeſtici de ejuſdem ſalute ſolliciti id nuntiatum venerunt expoſcentes, ut iterum ſanguis adimeretur; quibus poſtulatum invitus conceſſi, dubiis tamen poſitis conditionibus potius eorum timori ſatisfaciendi gratia, quam indigentiæ, qui ſperabam præterito febris augmento adauctam moleſtiam ceſſaturam. Miſſus tamen ſanguis eſt, & poſt emiſſum orta magna perturbatione ad horam uſque ſextam noctis perſeveravit. Mane, more regionis clamante, ſaphena recluſa eſt, duabus plus minus unciis ſanguinis eductis, in quibus indicata concretio non defuit, ſicut in aliis nocte detractis. Febris tamen remiſſa erat, & ita facilis reſpiratio, ut aſſeruerim domeſticis nil eſſe dubitandum

de

de ſalute. Horis 5. poſt prandium accepta drachma dimidia margarit. præp. occidentalium, & cornu cervi ſenſit non exiguum levamen, nec amplius nocte rediit anguſtia reſpirationis, & auctio doloris; ad cujus moleſtiam leniendam, quum aliarum unctionum odores faſtidiret, proderat appoſitum lateri reticulum caſtrati oleo amigdalarum dulcium perfuſum. Die 30. admodum febris decrevit, reſtinctaque penitus proximo die. Poſtquam ab hauſto oleo amigdalarum dulcium ſoluta alvus eſt, perrexit toto ægrotationis tempore excretio liquida & bilioſa, immo duobus diebus poſt febrem extinctam, poſt quos pariter tuſſis incœpit eſſe frequentior cum exſcreatu non difficili materiæ viſcoſæ ſpumoſæque tres dies perdurante.

Doctiſſimus Fernelius *lib.* 5. de partium morbis animadvertit, interdum humorem e ſummo capite per cervicem, ſcapulas, & omoplatas, tandemque in lateris externos muſculos modo priores, modo poſteriores delabi, qui tamen Pleuritis non eſt; ſed in eo loco perſeverans interdum veram pleuritidem accerſit cum ſputo cruento, ſive quod ſenſim altius penetrans ſe in muſculos meſopleurios, membranamque ſuccingentem inſinuet, ſive quod illius dolor novam fluxionem e venis proritet. Hanc Fernelii animadverſionem confirmat narratus dolor lateris, qui ſane pleuritis non fuit, ſed excitatus a defluxu humoris in exteriores muſculos non inflammatos. Pluribus diebus febrem præceſſit levis Rheumatiſmus modo caput, collum, modo humerum, & brachium, modo latus pervellens. Facta hoc tempore intra ſanguinem humoris exotici congeſtione acuta febris orta eſt, humorque, qui prius alias partes, & latus leviter vellicabat, calidior acriorque redditus vellicatum

P ge-

geminavit abſque tamen inflammatione ab effuſo, & ſtagnante ſanguine facta, tametſi ſanguinis extracti ſuperficies ita denſa foret, & ejuſdem coloris, qualis cernitur in vera Pleuritide; quæ tamen inflammatæ partis proprium argumentum non eſt, utpote commune etiam Rheumatiſmo citra inflammationem. Ex ſputis pariter, quorum unum tantummodo leviter ſanguine aſperſum vidi, nihil de inflammatione conſtitui poterat.

Quum primum ægram conveni, febris erat intenſior dolore lateris, cui nullum frigus præceſſerat; ideoque anceps fui, utrum eſſet initium veræ pleuritidis, cujus febris, ut adnotat Hippocrates, & ego adnotatum pluries obſervavi, ducit initium a rigore. Parcius vero fluentibus menſtruis, credidi tutius hæc incitare propinato oleo, & differre venæ inciſionem, dum clariora indicia morbi prodirent. Inde uberius illa manarunt, & natura parata ad ſe ſe deonerandam per excretiones bilioſas, adjumentum accepit: neque ad phlebotomum confugiſſem, niſi ſuperveniſſet anguſtia ſpirandi.

Confirmo hac obſervatione, cruſtam operientem ſanguinem extractum non eſſe probationem extractionis repetendæ, contra quam multi arbitrantur. Quo die eductus ſanguis ultimo eſt, non defuit illa, qualis antea, & poſtridie fere in totum ceſſavit febris, non infirmo argumento, cauſſam, per quam in venis ſanguis præparatur ad eam concretionem, non eſſe febris effectricem. Quæcumque vero ſit cauſſa concretionis, hanc certe non apparere vidi, niſi foramen venæ latum ſit, ut ſanguis pleno rivo effluere queat, & cum ſaltu Horizontem verſus. Aliter evenit anguſte perforata vena, exitumque & copioſum, & cum impetu factum impediente. Anni 1739. menſe Junii accerſitus ad Nobilem Pa-

Digitized by Google

Patavinum, Doctorem Gabrielem Pata doctiſſimum, & piiſſimum Bubulentæ Archipræsbyterum laborantem febri acuta, æqualique lateris dolore, juſſi detrahi ſanguinem ex brachio affecto. Verum anguſto facto foramine, primo exivit ſanguis cum ſaltu ſed exili rivo, deinde lente, & per brachium repens. Quo viſo, nec definita ſanguinis quantitate extracta, ſtatim admotum eſt, meo juſſu, venæ alterius brachii ſcalpellum, atque ex inflicto ampliore vulnere profiluit cum impetu ſanguis recto, & uberiore rivo, qui poſtquam refrixit, multam exhibuit in ſuperficie cruſtam, cujus nullum veſtigium in altero comparuit.

OBSERVATIO UNDECIMA.

Pleuritis inordinate orta.

DOm. Johannes Gaſparini temperamenti ſanguinei, & bilioſi, fere ſemper tuſſiculoſus annum agens circiter 50. nocte diei 21. menſis Aprilis anni 1738. experrectus eſt cum acuto dolore lateris dextri, & deinde femorum infra nates, & poplitum multo acutiore, atque intenſione tanta, ut uno in loco conſiſtere nequiret vehementer jactatus. Mane, quo accerſitus ſum, dixit ſe multo magis affligi dolore partium inferiorum, quam lateris, & inde inquietis potiſſimam cauſſam eſſe. Ad conſpectum tantæ jactationis hæſi parumper, ſed animadvertens dolorem incœpiſſe in latere, & poſtea multo vehementius ſæviiſſe in partibus inferioribus, idem habens pro indicio materiæ turgentis, curationem auſpicatus ſum purgante potione mannæ, & ſirupi roſati ſolutivi. Conveniens dejectio ſecuta eſt, attulitque dolo-

Digitized by Google

ris remiſſionem tantam, ut poſt prandium duas horas quiete dormiverit, ſomno tamen manifeſta febri ſuccedente. Mane diluculo detractæ ſunt unciæ 8. ſanguinis florentis coloris, & abſque ulla concretione. Leviter eo die febricitavit, & totam noctem proximam placide dormivit, eademque quiete fruitus eſt tota die Veneris, qui tertius ægritudinis erat. Porro mane Sabbati expergefactus eſt cum dolore partium inferiorum, quæ prius excruciatæ fuerant, neque latus dolore immune erat. Modica tamen febris, & ſine pulſus duritia. Injectus eſt clyſter ex unciis decem olei amigdalarum dulcium, quod inferiorum dolorem mitigavit. Hora 21. crevit febris; omnino dolor femorum & poplitum ceſſavit, ſed auctus eſt lateris cum difficultate ſpirandi. Noctu igitur e ſalvatella detractæ ſunt unciæ 5. ſanguinis obducti poſt refrigerationem alba cruſta, durique ad incidendum. Eadem nocte aliquot ſputa craſſa & ſubalbida permiſta pauco ſanguine extuſſivit. Mane habita conſultatione cum Excell. D. Petro Zuella iterum modicum ſanguinis e manu demtum eſt, in quo plus etiam inerat concretionis albæ in ſuperficie. Ad ſedandum dolorem appoſitum eſt reticulum caſtrati perfuſum oleo amigdalarum dulcium, deinde ſtercus bovinum cum eodem oleo, quo majus levamen accepit. Principio morbi vehementiſſimam ſitim leniebat decoctio malvæ, florum violarum, papaveris rheados addito nitro purificato. Poſtquam excitata tuſſis eſt, ad hanc molliendam, atque laborem exſcreationis utebatur fructuoſe oleo amigdalarum dulcium cum ſirupo de pomis. Duobus tantum diebus apparuerunt ſputa leviter cruenta, urinæ rubræ & aliquantum confuſæ, dolorque unico die acerbior fuit. Die 6. ægritudinis poſt prandium invaluit febris renovato dolore,
ſed

Digitized by Google

ſed minore intenſione. Nocte tamen ejuſdem diei aucta decreverunt; mane diei 7. ſudavit, & veſpere pene liber febre fuit, & 8. die in totum. Quum autem noctu venter murmuraſſet copioſo edito crepitu, mane diei noni præbui mannæ electæ uncias 2. cum drachma tartari ſolutilis & aqua malvæ, & paullo poſt uncias tres olei amigdalarum dulcium. Multa bilioſa excreta ſunt cum egregio levamine.

Principium hujus morbi plus habuit Rheumatiſmi quam Pleuritidis ob inconſtantiam doloris primo quidem latus dextrum occupantis, deinde partes infernas fortius affligentis, interdum etiam latus ſiniſtrum aggredientis. Pulſus in ejuſdem vehementia perturbatus, nondum tamen indicium manifeſtæ febris. Quum vero manifeſte febricitavit, nullus præceſſit rigor, contra quam in pleuritide ſolet evenire, extractuſque primo ſanguis caruit craſſamine ſolito in ea conſpici. Porro poſt extractionem remiſſo dolore, duæ noctes cum placido ſomno conſecutæ ſunt, remanente etiamnum incerta idea morbi tot mutationes ſubeuntis; quæ ſolum die Sabbati poſt meridiem clarior apparuit ex dolore, qui relictis omnino partibus inferioribus ſedem fixit in latere dextro, item ex febris incremento non levi. Itaque longius, quam permiſſum fuit ab incremento, nocte detractus eſt ſanguis e manu dextra ad majorem commotionem evitandam ex ſectione amplioris vaſis. Eadem nocte auxerunt notas Pleuritidis tuſſis cum aliquot ſputis cruentis, duraque concretio in educto ſanguine, quæ quidem Pleuritidis proprium ſignum non eſt, ſed aſſidens tantum. Mane perſeverante lateris dolore, habitaque dicta conſultatione ob uxoris pavorem, paucæ unciæ ſanguinis ex ſalvatella demtæ ſunt, qui ſecundo emiſſi

non

Digitized by Google

non diſſimilis fuit, immo craſſiore cruſta obtectus: quæ tamen mihi argumento non fuit, neque repetendæ venæ ſectionis, neque præbendorum diſſolventium; qui opinor, eam non eſſe indicium craſſioris ſanguinis attenuationem exigentis. Baglivus *Cap. de Pleuritide* ait, generatim eſſe peſſimum ſignum ſanguinem pleuritico ademtum ea concretione carere: tantum abeſt hac apparente debere diſſolventia porrigi ad tollendum, quod ſanguini præparationem ad eam concretionem communicat. Revera hæc craſſior erat in ſanguine ultimo emiſſo, & tamen poſt biduum extincta febris eſt; & ſolum pauca ſanguinis veſtigia in ſputis duobus diebus viſa ſunt. Fuit igitur hæc affectio initium pleuritidis infenſius ratione doloris, quam inflammationis, eodem tenui humore, qui primis diebus in varias corporis partes adlapſus erat, muſculos extrinſecus coſtis incumbentes affligente: quandoquidem intolerabilis erat in parte morbida decubitus. Admiſtam tamen humori copiam flatus fuiſſe exiſtimo, & hinc præcipue ortas citas mutationes doloris varias partes occupantis, antequam in latere dextro figeretur; immo ex eodem flatu magis, quam vi inflammationis arbitror majorem difficultatem ſpirandi, quam paſſus eſt die Sabbati poſt meridiem, genitam fuiſſe, ut paullo poſt conſecuta oſtenderunt, & præſertim tanta copia flatuum expulſa.

Die Sabbati poſt meridiem adaucta febri, laterifque dolore diſtuli venæ apertionem poſt aliquot horas noctis, ut opperirer aliquam febris declinationem, vel ſaltem ceſſationem incrementi, exemplo doctiſſimi Aretæi, qui ad reſignandam venam in Pleuriticis febris inclinationem expectat, ſolitæ, eodem auctore animadvertente, poſt mediam noctem remittere; contra quam multi ſa-

Digitized by Google

faciunt, qui dolore urgente in febris augmento ſtatim ſcalpellum infigunt. Rationabilior videtur praxis Aretæi opperientis febris remiſſionem, ſi animadvertimus, plerumque febrem Pleuritici primariam eſſe, accenſamque ex peculiari vitio ſanguinis, hunc in Pleuram impellente. Quemadmodum igitur in aliis primariis febribus non ſymptomaticis evitamus febris incrementum venam inciſuri, ne monitu Cornelii Celſi, ægrotum jugulemus, cur idem evitandum non erit in Pleuriticis? Increſcente febri magis commovetur ſanguis, commotionem auget hoc tempore inciſio venæ: ex qua timendum eſt, ne major copia fluat ad pleuram, quo jam impetum habet.

Ex eodem viro ſuppetit aliud argumentum, quam parvi faciendi ſint color, & habitus ſanguinis extracti, & coagulati ad repetendam venæ ſectionem. Anno 1746. menſe Aprilis pluribus diebus paſſus dejectiones bilioſas cum totius corporis debilitate, & levi frigore, meo conſilio acceptis floribus caſſiæ cum pulpa thamarindorum, multa bilioſa, crudaque excrevit; ſed circa horam 2. noctis captus eſt dolore tam ingenti lateris, ut vix cum magna difficultate anhelitum poſſet ducere. Mane reperta febri, & levi tantum remiſſione doloris, iuſſi octo ſanguinis uncias educi, deinde latus oblinire unguento pectorali, oleoque amigdalarum dulcium. Ad veſperam febris remiſſior, itemque dolor. Loco cibi propinavi uncias 4. olei amigdal. dulcium, quo multa bilioſa dejecit, ſenſitque mane majorem remiſſionem febris, doloriſque; ſed multo majorem die proximo, qui tertius erat ab inchoata ægritudine, nec alio remedio opus fuit integræ reparandæ ſaluti. Ergo ſanguis extractus durus erat, niger, denſaque cruſta obductus; atque poſt duos

tres-

treſve dies omnia tranquilla fuerunt. Si quis autem ex ſolo intuitu ſanguinis effuſi venæ apertionem iteraſſet, ut ſæpe iteratur, quid boni contuliſſet ad curationem? Nihil profecto: immo inutiliter ſanguine abſumto virium reparationem diſtuliſſet. Tamen artis ipſa imperitia a vulgo habetur pro cautione. Fuit igitur dolor tam ingens excitatus a tenui, & bilioſa materia lapſa in muſculos exterius coſtis incumbentes, ſupra quos decubitus infenſus erat.

OBSERVATIO DUODECIMA.

Pleuritis cum lingua primo die ſicca, nigra, rimoſa, tumida.

DOm. Jacobus Montinus Aromatarius ad inſigne Roſæ in platea Dominorum annor. 63. temperamenti magis bilioſi quam ſanguinei die 20. menſis Martii anni 1741. poſt meridiem prægreſſo frigore 2. horarum correptus eſt febri continua acuta cum vehementi lateris dextri dolore ad humerum protenſo, qui brevi aliquantum remiſit. Hora tertia noctis præbitæ ſunt unciæ 5. olei amigdalarum dulcium, quod majori ex parte vomuit. Mane detractæ ſunt ex latere affecto 8. ſanguinis unciæ, in quibus poſt concretionem nullum ſolitæ cruſtæ indicium manifeſte apparuit: inunctum eſt latus unguento pectorali, & oleo cucurbitæ. Quum autem doleret de ventriculi gravitate proximo die ſumſit potionem ex uncia una & dimidia mannæ, dimidia electuar. lenit. cum modico tartari ſolutilis, & inde ſecuta congruens evacuatio abſtulit ventriculi gravitatem. Die conſecuto abſtinui ab omni remedio, proximo iterata

eſt

Digitized by Google

eſt detractio ſanguinis ex vena prius vulnerata, eademque quantitate, quæ concreta obtecta eſt cruſta alba fere digitum tranſverſum alta, duriſſima ad incidendum. Primo & ſecundo die nulla tuſſis, lingua tamen ita ſicca, nigra, fiſſa, tumida, ut difficulter loqui poſſet, & intelligi locutio, quæ poſtea nigram cruſtam contraxit, nec ſitis ardens defuit. Tertio die poſt meridiem incœpit extuſſire modo ſinceram pituitam craſſam, modo permiſtam pauco ſanguine coloris purpurei, ſimiliſque exſcreatio reliquo fere tempore ægrotationis fuit. Eodem die febris invaluit, intenſaque perſeveravit ad initium uſque octavi, non tamen æquali ſemper intenſione, minore mane, majore horis pomeridianis, & veſpertinis, nullo tamen præcedente frigore incrementum. Pulſus, a quo die febris invaluit, durus, tenſus, latus. Urinæ ex rubro flavæ cum aliqua craſſitie & confuſione. Dolor lateris ſolum tuſſiendo infeſtior. Indito ſuppoſitario flava excernebat, ſemel etiam ſponte die ſexto. Sub finem ſeptimi diei mane, quo tempore febris aliquanto remiſſior eſſe ſolebat, auctiorem comperi, anxiam, & frequentiorem reſpirationem, & murmur ferventis catarrhi, & animo dejecto ægrotum. Itaque ſtatim porrexi uncias duas mannæ candidæ ſolutas larga quantitate decoctionis pectoralis, & poſt dimidiam circiter horam tres uncias olei amigdalarum dulcium. Abſque ulla moleſtia egeſta ſunt multa bilioſa partim figurata, partim liquida, tulitque excretio non exiguum levamen veſpere, patefactum ex remiſſione febris, frequentioris ſpirationis, pulſus duritiæ, & tenſionis. Nono die adhuc magis imminuta febris eſt, nullaque ſuperfuit die decimo, ſola perſeverante tuſſi incruenta, & ſolius liquidæ pituitæ exſcreatione.

Digitized by Google

Solet in progreſſu febris ardentis fieri lingua ſicca nigraque: quare mihi adnotatione dignum viſum eſt, ſtatim in Pleuritidis initio redditam fuiſſe tumidam, ſiccam, nigram, rimoſam ſine pernicioſo indicio; quas certe mutationes lingua ſubiit ex bilis ſiccitate, & proclivitate ad eaſdem ſubeundas. Ex eadem bilis ſiccitate ſitim ardentem ſtatim principio excitatam fuiſſe putem, cui mitigandæ proderat decoctio hordei, violarum recentium, florum papaveris rheados, jujubarum, & modici ſiliquæ vulgaris, addita ſingulis cyathis, quos plures ſingulis diebus hauſit, drachma nitri purificati. Facili excretioni ſputorum plus contulit calidæ dictæ decoctionis hauſtus, tamen ſine miſtura nitri, quam linctus parati ex ſaccharo, quod in pluribus aliis ægrotis obſervavi. Linguæ moleſtiam ſolabatur ablutio ex aqua vino permiſta, poſt ablutionem impoſitum fruſtum pomi, vel folium lactucæ illitum ſirupo de pomis.

Sanguis primo emiſſus caruit craſſamine albo, quod operiebat ſecundo emiſſum; idque ſæpe obſervatur in Pleuriticis, ſi primo die morbi detrahitur, ſicuti huic ægroto detractus eſt, deinde ſi ſequentibus detrahitur, quibus febris ingraveſcit. Proxima igitur præparatio ſanguinis ad contrahendam cruſtam poſt emiſſionem, non antecedit Pleuritidem, ſed ſequitur inchoatam, & auctam febrem; ex qua propterea, uti jam ex enarratis conſtat, non manat ratio iterandæ venæ ſectionis; neque præbendorum diſſolventium, quæ utpote calida, creſcente & vigente inflammatione, aperte noxia ſunt: declinante, ſuperflua. Et ſane in Rheumatiſmo, in quo extractus ſanguis eamdem habet concretionem, atque in Pleuritide, diſſolventia in principio, augmento, & ſtatu a Riverio, aliiſque reprobantur, in ſola declinatione uſur-

Digitized by Google

uſurpantur ad feſtinandam curationem morbi longi, quæ ratio non valet in pleuritide natura ſua celeris curſus.

In toto morbi decurſu numquam deterior facies morbi apparuit, quam circa finem ſeptimi, quo omnia in deterius lapſa viſa ſunt. Itaque ex ſubita ingentique linguæ ſiccitate, itemque ex ſpontanea dejectione bilioſa die ſexto facta ducto argumento, præcipue ventriculum & primam regionem bile inquinari, porrexi indicatum expurgans, quod eodem die tulit valde utilem excretionem natura ad eamdem parata; quandoquidem etiam nocte, & die ſequenti bilioſa dejecta ſunt, certe magis opera naturæ, quam perſeverantibus ſtimulis tam blandi purgantis. Quid mirum autem purgans tempeſtive præſtitum adeo profuiſſe Pleuritico, quando Valleſius *Sect. 6. Aphor. 16.* non dubitat, alvi profluvium ſuperveniens pleuritidi eſſe poſſe judicatorium, & fuiſſe pluries obſervatum eſt? Unde habent, quod animadvertant, qui totam ſpem curandæ Pleuritidis in ſanguine detrahendo collocant, repetuntque detractionem ad extremos uſque dies. Deus immortalis! Quantum diſtat præſens a praxi Hippocratis, aliorumque Medicinæ principum!

OBSERVATIO DECIMATERTIA.

Hemophthiſis in viro annor. 70.

Perilluſtris Dom. Dominicus Vulpius temperamenti ſanguinei, & melancholici annor. 75. mercatura felix, ſed prole felicior anno 1734. Menſe Februarii, poſtquam fere totam hiemem ad ignem tranſegiſſet, incidit in vehementem tuſſim cum catarrho, quam diu

Digitized by Google

toleravit abſque remediis, nec ad ea confugit, niſi poſtquam ſanguinem copioſum exſpuere incœpit. Itaque alvo prius laxata detractus eſt ſanguis, qui concretus alba denſaque cruſta obductus fuit. Mane ſumebat ſerum lactis cum conſerva antiqua florum roſarum, itemque ad leniendam tuſſim tabellas ex diatragachanto cum bolo. In copioſiore ſanguinis expuitione præſidio erat aqua plantaginis cum bolo Armenia, & ſirupo mirtillorum. Menſem & ultra affectio perduravit, ut neceſſe fuerit ſanguinem iterum ex manu detrahere, & ſuccum urticæ præbere cum nitro defæcato; quibus auxiliis cruenta expuitio ceſſavit, & veris initio tuſſis.

Qualis apparet ſanguis eductus, & coagulatus in Rheumatiſmo ad exteriora converſo, talis fuit ad pulmones illapſo. Coaluit vena ante tuſſis ceſſationem, & ita perfecte, ut nullum veſtigium pluribus conſecutis annis præteritæ affectionis remanſerit. Illud etiam reddit notabiliorem curationem, quod fere tota æſtate coactus fuerat decumbere ex valde infeſto capitis dorſique calore, afflictione ſtomachi, crurumque dolore. Præterea non committam, quin adnotem hunc ægrotum pluribus ab hinc annis ex intervallis modo frequentioribus, modo rarioribus tentari quodam ſymptomate; quo facie expalleſcit, eumque ſenſum habet circa cor, quaſi defecturus animus eſſet, non tamen deficit, citoque redit priſtinus color faciei, immo in medio aſſultu pulſus parum immutatur, quem ſæpius præſens exploravi. Videbantur tot initia defecturi animi gravem demum ſyncopem portendere, quæ tamen numquam contigit, immo illa ipſa in præſens, licet ſit major octogenario, rarius obveniunt.

Hippocrates *Aphor.* 25. *ſect.* 4. docet ſanguinis ſputum qua-

qualiſcumque ſanguis fuerit, malum eſſe, videmuſque frequenter in tabem pulmonum deſinere. Nihil tamen noxii poſt ſe reliquit in hoc ægroto, quantumvis in tam grandi ætate evenerit; quantumvis ille ex longa prægreſſa ægrotatione gracili corporis habitu eſſet. Credo igitur ſputum cruentum maxime niſu tuſſiendi recluſo vaſe provocatum fuiſſe, non acrimonia ſanguinis, qua incitante multo difficilius coaluiſſet apertio, neque coalitu tam conſtanti. Quin etiam denſiorem ſanguinis compagem fuiſſe, nec acri humore permixta inde conjecto, quod in decubitu plurium menſium, & moleſtiarum perpeſſione numquam veſtigium aliquod febris in pulſu fuerit, numquam debilitatis; conjecto etiam ex ſenili ætate, tenuitatem & acritudinem humorum obtundente. Quum igitur ſæpe videamus & difficiliter aperta in pulmonibus vaſa firmiter concludi, & Phthiſis cauſſam eſſe, id accidere putandum eſt potiſſimum ex ſanguinis acrimonia, laxave totius pulmonum fabrica, vel ex utraque.

SE-

Digitized by Google

SECTIO QUARTA.

DE MORBIS CORDIS, & Ventris inferioris.

OBSERVATIO PRIMA.

Symptomata Cordis præter naturam adaucti.

DOm. Ventura Salò Patavinus annor. 55. temperamenti atrabilarii, iracundus, hieme anni 1724. cœpit laborare reſpiratione tam difficili, ut videretur ſuffocatio imminere. Inita curatione ab Excell. D. Johanne Baptiſta Vulpio, qui poſtea ſecundo loco Anatomiam egregie profeſſus eſt, donec bona valetudo permiſit, ejus juſſu pluribus vicibus unciæ ſanguinis circiter 40. detractæ ſunt, conſecutaque eſt aliqua imminutio difficultatis, non ablatio, quæ præterea ex intervallis exaſperabatur. Quum menſe Maii ejuſdem anni offendiſſem hunc ægrotum in officina aromataria; rogatus regionem cordis exploravi, comperique cor foris extuberans vehementius pulſare, atque in ampliore ſpatio, quam ſolet per naturam. Porro circa primos Junii dies accitus ad conſultandum, hanc reperi morbi faciem, pulſationem cordis fortiorem, atque, uti dictum eſt, ad latius ſpatium extenſam, præterea arterias in brachiis, jugulo, aliiſque partibus præter conſuetudinem micantes, pulſum in carpo tenſum, altum, fortem, & aliquanto velociorem naturali. Primis quatuor diebus, quibus

cum

Digitized by Google

eum inviſi, ſæpe & multum ingraveſcente anhelitu tantum erectus reſpirare poterat; tamen poterat noctu trium quatuorve horarum ſomnum capere; ſed multo frequentius pectoris anguſtiæ redeuntes fere in totum ſomnum abſtulerunt. Semper erat hoc tempore difficilis anhelitus, ſed idemtidem non ſine periculo ſuffocationis difficultas augebatur. Impoſiti ſunt clyſteres non omnino inutiliter; omnino tamen inutilis fuit detractio 5. unciarum ſanguinis; ſimilemque exitum habuit una uncia cum dimidia mannæ, licet ſatis alvum ſolverit. Nihil præterea tentatum eſt præter aliquem linctum ex conſuetis. Quid autem contra morbum ortum ex manifeſto vitio organico cum rationabili ſpe ulterius tentari poterat? In proclivi erat unicuique præſagire affectum inſanabilem eſſe, atque in dies mortem expectandam eſſe, quæ feſtinata a continuis vigiliis & moleſtiſſimo labore reſpirationis octavo die, a quo ægrotum conveni, contigit pene repente ſpiratione ſuppreſſa. Diſſecto cadavere pulmo fere exſanguis repertus eſt, excepto uno lobo, quo inciſo aqua, & modicum ſanguinis effluxit, nihil tamen ex aliis pluribus locis inciſis, in quibus ſolum apparuit modicum ſpumæ adhærentis. Cor erat duabus fere partibus majus naturali, ejus ſubſtantia ſolitæ craſſitudinis, ventriculus ſiniſter valde amplus, & capax unius circiter libræ ſanguinis.

Duo ſymptomata cordis præter modum adaucti fuerunt difficilis reſpiratio, & palpitatio, ſive immoderata concuſſio cordis, illa producta a majore mole ejuſdem impediente dilatationem pulmonum, altera ab irritatis fibris cordis. Sæpe in palpitatione cordis frequenter pulſus mutatur, ſubitque mutationes oppoſitas, modo parvus, modo magnus apparens; plerumque tamen

exi-

Digitized by Google

exilis eſt, ſecus ac in noſtro ægroto, cujus pulſus ſemper erat tenſus, altus, & fortis, non quidem ſemper æqualiter, ſed modico diſcrimine. Itaque cui cauſſæ hanc differentiam adjudicabimus? An adaucto cordi? Narravit mihi celeberrimus Academiæ Patavinæ Profeſſor primarius, & diligentiſſimus cadaverum inſpector Johannes Baptiſta Morgagnus, ſe vidiſſe cordis augmentum cum pulſu exili. Erat in noſtro ægroto, præter vitioſam cordis magnitudinem, amplus valde ſiniſter ventriculus; itaque exiſtimo ex facto congeſtu ſanguinis, qui atrabilarius erat, ad cordis baſim & vaſorum radices irritatis fibris ortam eſſe palpitationem continuam, pulſumque tenſum altumque, itemque inſolitum micatum aliarum arteriarum in variis partibus corporis.

OBSERVATIO SECUNDA.

Vomitus bilioſus, aliaque ſymptomata orta ab acceptis cantharidibus.

CRemonæ vir annos natus 40. temperamenti ſanguinei bilioſique mulieroſus, & a ſcorto delaſſatus, ut poſſet etiam uti de more uxore, ad ejus ſuſpicionem tollendam ob inſolitam veneris abſtinentiam, menſe Septembris anni 1687. rogavit amicum pharmacopolam, ut præſtaret aliquod remedium, quo poſſet utrique luctæ par eſſe. Annuit ille, præbuitque tabellas permiſtas cantharidibus, quibus plures dies acceptis, incidit in vomitum bilioſum, ſimileſque frequentes dejectiones. Tulit hæc ſymptomata novem dies abſque Medico, quibus, referentibus domeſticis hora una, vel dimidia poſt ſumtum cibum, hunc evomebat, ſimulque

bilio

Digitized by Google

bilioſa non mediocri quantitate ; identidem quoque ſimilia dejiciebat. Vigiliæ fere continuæ, lancinantes tumidi ventris dolores, infeſtiſſimi cordis morſus, pauca minctio, & aliquando cum ardore, febris inordinata, noctibus alternis animi leve deliquium, ad veſperam gravitas capitis. Accerſitus Medicus, cum quo ægrotos conveniebam praxeos addiſcendæ gratia, ignarus ſumtarum cantharidum e veſtigio porrexit conſtringentia & roborantia tam intrinſeca quam extrinſeca, injecti frequentes clyſteres, hos expoſcente ægroto, cui tumidus venter magnam deſidendi cupiditatem incutiebat. Egeſta ut plurimum erant bilioſa, modo fluida, modo figurata, nec ſine aliquo levamine, ut videbatur, quod tamen ſolum duobus diebus perſeveravit. Quamvis autem cibum deinde longiore ſpatio retineret, & rarius vomeret, cetera ſymptomata atrocius ſævierunt, brevique novo alvi fluxu afflictus eſt, ſæpius bilioſis excretis, interdum crudis ; nec diſſimilium interdum vomitione ; quas vacuationes ingens virium jactura ſequebatur. Hoc ipſo tempore intenſius ſolito vultus rubere cœpit, pulſus aliquando intercipi, & penitus latere, aliquando frigere extrema. Noviſſime adaucta febri, æruginoſis factis dejectionibus, & tandem ſanguineis intra horæ ſpatium pluries iteratis, modo frigore, modo æſtu ſuperveniente, mille inter angores morbi violentiæ ceſſit, permanente ad ultimum fere vitæ terminum rubore faciei, quamvis frigentis, cujus mihi nulla probabilior cauſſa occurrit, præter vim peculiarem veneni latius per ſanguinem fuſi, ſicuti varia venena diverſis coloribus cutem inficiunt, alia flavo, alia plumbeo.

Rarum eventum retuli, quem propterea medicinam facientibus non reticendum judicavi ; ex quo licet nihil elici

Digitized by Google

poſſit ad curationem, tamen non inutiliter agnoſcitur, quibus accidentibus ex cantharide factus fuerit ad mortem progreſſus. Periit ægrotus deſtitutus opportunis remediis, qui ſolum duobus diebus ante obitum eas tabellas comediſſe faſſus eſt, propterea magis ſilentio ſuo, quam vi morbi capite damnatus. Et ſane non ita infauſte ceſſit eſus cantharidum juveni Gallo, de quo narrat Langius *Epiſt.* 4. Deperibat ille puellam Bononiæ, atque vires habiturus pares effreni ſuo amori faciendi ſatis, ex conſilio commilitonis pulverem cantharidum in quodam juſculo hauſit, & inde ſub prima nocte ſentiens circa pudenda pruritum lætus amicam adiit, ratus comparatum eſſe ex pharmaco non inanem ſtimulum pro iterando venereo conflictu. Enimvero in concubia nocte punctionibus perculſus, mente vix conſtans, animi defectu, & vertigine propemodum concidens, ore pleno ſapore picis cedrinæ domum adivit, ubi magis effuſis viribus veneni, urinæ ſtillicidio cruento, & ardore continuo correptus eſt, Deûm hominumque opem implorans, quam a Langio impetravit. In hoc ægroto ſubito vis veneni elata eſt immiſſo in os ſapore picis, quem eſſe proprium ejus indicium adnotavit Aetius *lib.* 13. *cap.* 49. deinde ſecutus eſt ardor urinæ cruentæ. Hæc duo ſigna defuerunt ægroto Cremonenſi, nimirum, ut opinor, cantharidibus magis ex arte immiſtis acceptis tabellis, quarum confectionem Pharmacopola ex libris medicorum didicerat, fortaſſis uſu parciore lethalem non futuram. Ceterum ex ſilentio laborantis, & ignoratione permiſtionis, & quantitatis cantharidum, quid certi ſtatui poteſt? Deſcriptam tamen affectionem, & mortem a viru cantharidum ortam eſſe indubitatum eſt, nec inde vocari poteſt in controverſiam, quod peculiares ejus

notæ

Digitized by Google

notæ tam manifeſtæ non extiterint. Defuit ſapor picis in ore, vel ſi fuit, æger tacuit, nil de hoc Medico interrogante. Defuit quoque urina cruenta, non defuit tamen ejus paucitas, ardorque interdum, nec defuerunt frequentia animi deliquia, & ſtrigmenta velut in dyſentericis, ſenſus eroſionis in ventre, quæ animadvertente Dioſcoride *lib. 6. cap. 1.* cantharidum ſymptomata ſunt. Numquam tamen viſa eſt urina cruenta, qualis ab eo viru eſſe conſuevit, ſcilicet primario illius viribus in inteſtina converſis.

Curatio ob ignorationem cauſſæ vim veneni auxit, facta conſtringentibus & roborantibus, quæ mollientia, & laxantia per infuſa poſcit, lacque frequenter potum; quibus auxiliis feliciter Langius uſus eſt, prius tamen oleo vomitu provocato, deinde alvo ſoluta clyſtere parato ex decoctione malvæ, mercurialis, & althææ radicis, addito oleo lilio. albo. violato, & diſſoluta caſſia; inſuper ſingulis horis præbito cyatho lactis caprini.

OBSERVATIO TERTIA.

Inveterata Diarrhœa aliis morbis complicata.

DOm. Dominica Gandulfa Laudenſis annorum 30., temperaturæ calidæ, humidæque diarrhœa propemodum annua laborabat cum frequentibus doloribus circa umbilicum, & articulos. Ulcus excedens erat in dextro humero, itemque aliud profundum in crure pariter dextero cum tendinum contractione in cubito, affectoque crure. Menſtrua diu ſuppreſſa, febris inordinata, non tamen continua. Sub fine Auguſti anni *1692.*, poſt multa artis præſidia ab aliis Medicis irrite tentata, mihi

Digitized by Google

in Vico Mallei medicinam ære publico exercenti curatio commiſſa fuit, quo tempore hic erat ſtatus ægrotæ: noctes ob vehementiam doloris majori ex parte vigiles, cibi faſtidium, alvi excrementa aliquantum billioſa, & cruenta, urinæ mediocris habitus, ſed coloratiores. Ita curationem inſtitui. Potus ordinarius erat decoctio ſandali citrini, & radicis chynæ, quumque febre immunis erat, modicum vini cum infuſis floribus hyperici. Mane ſumebat bolos ex terra ſigillata, bolo Armenia, maſtiche, & nuce muſcata; ſubinde aliquot uncias præſcriptæ decoctionis, quibus omnibus dies 25. uſurpatis, multoque melius ventre ſuo munere fungente, deſtiti præbere adſtringentia, additis decoctioni ſalſa parilla, & viſco quercino. Medela ſucceſſit felicitate tanta, ut circa dimidium Octobrem ad priſtina vitæ munia rediverit, paullatim ablatis doloribus articulorum, tendinum contractione, cohibito exedente ulcere humeri, cruriſque ad meliorem conditionem perducto, reſtrictoque, alvo penitus firmata, reverſo lunari fluxu; quare brevi prægnans evaſit.

Nullo clyſtere in hac curatione uſus ſum, nullo vel blando purgante, nempe quæ intellexeram ab aliis uſurpata fuiſſe, nullum obtentum levamen; quid igitur ea repeterem? Sciebam nil profuiſſe; poteram dubitare an nocuiſſent. An non relinquenda erant? Admonet Hippocrates *lib. de loc. in homine*, *num.* 48. mutandum eſſe modum non ſanantem; idem docet ratio. Mutavi, atque in id ſolum incubui, ut corrigerem ſerum acre, principalem cauſſam morbi indicatam ab ulceribus, fluxumque ad ventrem inhiberem. Itidem nil cogitavi de menſtruis incitandis, quæ ſperabam reditura totius corporis œconomia reſtituta, & debita ſanguinis quantitate repa-

parata, quam conſumſerant cibi coacta parcitas, vigiliæ, dolores, fluxio ventris, ulcera ſanioſa. Futuram morbi expugnationem per inchoata remedia conjeci ex diarrhœa cœpta compeſci, indicio roborari ventriculum tot bonorum largitorem, melius coctionem perfici; ideoque ſuccos corrigi, quorum cruditas cum acrimonia fluxum ventris, aliaque moleſta provocaverat.

OBSERVATIO QUARTA.

Curatio Dyſenteriæ, & Tenaſmi abſque clyſteribus.

ANcilla Patritii Veneti temperaturæ ſanguineæ & bilioſæ annos nata circiter 35. menſe Octobris anni 1737. Patavii incidit in Dyſenteriam cum doloribus infra umbilicum ſævientibus. Primis diebus multa bilioſa egeſſit permiſta ſanguine cum frequenti deſidendi conatu, neque prorſus a febre immunis fuit. Sitis nulla, magna dejectio appetitus. Ad dolores leniendos partem inferiorem ventris occupantes curationem de more clyſteribus inchoavi, paratos ex lacte chalybeato, luteiſque ovorum; ſed dolor hæmorrhoidum inde provocatus, ſolum duo imponerentur, permiſit. Itaque frequentioribus dejectionibus mucoſis & ſanguineis, ventriſque cruciatibus occurri gummi arabico ſoluto in aqua ſpermatis ranarum, pentaphylli, addito pulvere coralliorum rubrorum bis in die propinato, potu juſculi pedis vitulini medicati ſandalis rubris, ſucco amigdalarum dulcium cibis admiſto, ſuffitu in ſella ex decoctione folior. abſinthii, & verbaſci. Verumtamen, quum modicum inde levaminis referret, urgerentque vigiliæ, fere ſub initio morbi ad ſoporifera confugi, exhibendo poſt cœnam

duas

Digitized by Google

duas uncias aquæ ſpermatis ranarum, vel ſimilis cum grano laudani nepentes, & dimidia drachma corall. rubr., aut ſpodii, quibus acceptis paullo poſt multas horas dormiebat, aut ſaltem placide quieſcebat abſque moleſtia frequentandæ egeſtionis, vel conatus ad egerendum. Poſt dies 5. ab incœpto morbo menſtrua intempeſtive, & copioſa ſupervenerunt, quibus nihil immutavi præſcriptæ medelæ, neque laudano abſtinui, quod ſæpe alternis noctibus ſumſit, interdum tribus, quatuorve continuis abſque ulla capitis gravitate: immo ſi qua nocte illud non præſcripſiſſem, ventriſque moleſtia refricaretur, ſponte ſua acceptum mittebat, & magna laude proſequebatur primum inventorem opii ad medicinales uſus. Hac medicatione decem dies adminiſtrata ita fractus eſt impetus morbi, ut lectum reliquerit. Quum autem recrudeſcerent interdum ventris cruciatus, jamque penitus menſtrua deſtitiſſent, rarioreſque dejectiones evenirent, accepit uncias 4. olei amigdalarum dulcium, & paullo poſt laudanum; quod ſolitam quietem attulit. Quo die accepit oleum, alvus immota fuit, proximo ſoluta, fecumque facta copioſa egeſtio non exigua allevatione fuit. Deinde duabus adhuc noctibus ob recidivos dolores, quamvis remiſſiores, ſomno tamen infeſtos, conſueto ſoporifero providit; quo amplius non indiguit.

Diſtinguunt auctores plerique Dyſenteriam a Tenaſmo; tamen non deſunt quidam Recentiores, inter quos Archibaldus Pitcarnius, qui multa locuti de Dyſenteria, ſilent de Tenaſmo. Revera hæc duo ſola parte affecta diſtinguuntur, non ratione cauſſæ, quæ in utroque affectu, uti ſtatuitur, ulceratio eſt inteſtinorum, in dyſenteria tenujum, vel craſſorum, recti dumtaxat in tenaſmo.

Sæ-

Sæpe tamen ambo conjunguntur, & non raro dyſenteriam tenaſmus ſequitur, iiſdem acribus humoribus, qui inteſtina ſuperiora eroſerunt, ad rectum translatis. Frequens etiam tenaſmus, uti obſervat Hippocrates *lib.* 2. *Epid.* dyſenteriam parit. Idemtidem tamen tenaſmus ſolitarius invadit, quem Cornelius Celſus *lib.* 4. *cap.* 18. neque morbis acutis, neque longis adnumerat, creditque numquam per ſe lethalem eſſe, in iſto tamen, atque in torminibus frequentem eſſe deſidendi cupiditatem, æqualemque dolorem, ubi aliquid excernitur. Indicia igitur clariora ad utrumque affectum ſecernendum exhibet excretorum diverſitas, funditque dyſenteria modo ſanguinem cum aliquo ſtercore ſemper liquido, modo cum quibuſdam mucoſis purgamentis, interdum etiam quibuſdam carnoſis. Porro in tenaſmo dejecta pauciora ſunt, albida, craſſa, mucoſa adipis conciſæ ſimilia, uti notat Aretæus *lib.* 2. *cap.* 9., interdum etiam leviter ſubcruenta, in quibus purgaminibus nonumquam interponuntur ex cibo recte concocta, numquam in Dyſenteria apparentia, ſemper liquida efferente. Deſcriptæ Ancillæ ægrotationem exiſtimo primo dyſenteriam fuiſſe ob febrem comitem, ob copioſaublioſa, & liquida excreta, & ſanguine permiſta, quam peperit facta levis eroſio inteſtinorum ab humore acri & bilioſo. Poſt primos dies copia dejectorum ceſſavit, ſuccedentibus ſtrigmentoſis mucoſis albis, ſed ſanguine perfuſis, primo copioſioribus, poſtea parcioribus: quo tempore ex valde frequenti dejiciendi cupiditate, & admodum pauca dejectione opinor magis viguiſſe tenaſmum dyſenteria; idemque opinor propterea quod modicum, quod excernebatur, eſſet mucoſum album, quaſi fruſtum adipis, & aliquando ſubcruentum, interdum etiam deje-

ctis

ctis immiſceretur coctum ex cibis excrementum juxta Celſi obſervationem.

Multi auctores non obſcuri nominis medicationem dyſenteriæ ab purgantibus auſpicantur, quæ ſimul vim habeant aliquam conſtringendi roborandique. Quare Riverius has dotes rhabarbaro attribuens curationem dyſenteriæ, & tenaſmi eo medicamine inſtituit, eique tantum confidit, ut præcipiat iterandum eſſe, donec exhauſta, & inhibita fluxio videatur. Acriter contradicit Alexander Maſſaria, vetatque in dyſenteria purgantia, ductus celebri præcepto, non eſſe ducendos humores ad partem affectam, qualis eſt in eo morbo inferior venter, ad quem purgantia humores adducunt. Id præceptum ſatis expendi in mea Methodo medendi, animadvertique, neque in omnibus morbis, neque omnibus medicamentis abſtinendum eſſe movendis humoribus ad partem laborantem. Verumtamen in hac muliere nullum adhibui expurgans, annuens animadverſioni doctiſſimi Valeſii *lib.* 4. *Epid.* in hiſtoria Leambii, ubi adnotans occaſiones in dyſenteria uſurpandæ purgationis, omittendæve, hanc jubet, omitti exigua exiſtente cacochymia ſine magna exulceratione: quam propterea in hac muliere prætermiſi, in qua nulla offerebantur indicia affluentiæ pravorum ſuccorum, neque ingentis ulcerationis. Non fuiſſe iſtius indicia, teſtatur levis febricula, quæ tantum primis duobus, tribuſve diebus adfuit: itemque deeſſe copiam pravorum ſuccorum iccirco conjeci, propterea quod per ſanitatem etiam pauco utebatur cibo, eoque ſano, nihilque in victu ante morbum peccaverat, in ipſo autem morbo vix tantum cibi capiebat, ut integra abſtinentia dici non poſſet. Quid igitur purgantia porrigerem temperaturæ calidæ bilioſæque

cum

Digitized by Google

cum gracili corporis habitu, in qua par erat credere affectum a tenuitate, & acrimonia ſuccorum, non copia progenitum fuiſſe. Quid autem indicavit fluxus menſtruorum inchoatus diebus quindecim ante ſolitum tempus, niſi tenuitatem & acrimoniam dominantis humoris? In quam propterea obtundendam primario medelam direxi, eamque ſoporiferis validioribus ceteris medicamentis, ſomno conciliato ad cogendos nimis tenues humores, acreſque molliendos. Parum alia certe prodeſſe poſſunt vigentibus vigiliis, quæ attenuant, coctionem turbant, acrimoniam adaugent. Per ſoporifera vero comparantia ſomnum corpus humectatur, humorum tenuitas corrigitur, adjuvaturque concoctio. Menſtrua, quæ ſupervenerunt in excurſu ægrotationis, videbantur obſtare præbendis adſtringentibus & opio, quod ſomnum inducendo, ut communis eſt ſententia, omnes evacuationes cohibet præter ſudorem. Ea tamen mihi impedimento non fuerunt, quominus opium, & alia porrigerem ad infirmandum curſum humorum ad inteſtina. Quum enim menſtrua intempeſtive manarent, & copioſa, credidi fortiorem ineſſe ſtimulum acribus commotiſque humoribus ad ea præter modum, tempuſque ſollicitanda, quam facultatis in opio, & mediocribus conſtringentibus ad ea inhibenda: præterea non omittendum levamen ex impetrata quiete per ſoporiferum. Quantitas laudani nepentes erat dumtaxat unius grani, quæ tamen ſemper ſomnum conciliabat, aut ſaltem quietem ſedando dolores, & incitamenta frequenter dejiciendi. Niſi tam parva quantitas ſatisfeciſſet, augere non dubitaſſem exemplo Vvilliſii confirmatus, qui in curatione Dyſenteriæ Londinenſis, ſatis magnam laudani quantitatem ſingulis horis veſpertinis exhibuit, teſta-

Digitized by Google

turque exhibitam nulli dyſenterico obfuiſſe. Sydenhamo quoque valde frequens fuit uſus opii in eodem morbo. Et hercle concitatis valide humoribus ad inteſtina, minus etiam partes ſuperiores vim ſoporiferi ſentiunt, implicatam humoribus effectoribus fluxus. Idemtidem variiſque in morbis ab opio opem peto, ſine quo, mercurio, & quinquinna admodum egena medicina foret. Illud autem præ ceteris adnotari velim ex hac curatione, quod in curanda dyſenteria, & potiſſimum tenaſmo, quum adeo celebrentur repetiti clyſteres tamquam præcipuum remedium, ſine his quoque minus incommodam, nec minus utilem medicationem obtineri poſſe. Provocatus dolor hæmorrhoidum ab illis principio iniectis eorumdem continuationem prohibuit, oſtenditque contra communem conſuetudinem, etiam ſine clyſterum repetitione impetrabilem eſſe curationis proſperitatem. Huc ſpectat animadverſio Guil. Ballonii *lib.* 1. *Ephemerid. & Epid.* reprobantis frequentem uſum clyſmatum anodinorum in fluxibus dyſentericis, mollitudine quadam inducta, inteſtina debilitantium.

Profuit deſcriptæ ægrotæ oleum amigdalarum dulcium præſtitum in remiſſione morbi. An profuturum eſſe credimus præſtitum in ejuſdem morbi vigore? Ita quidem hoc probante experimento. D. Anna Balaſſa temperamenti calidi humidique ann. 36. menſe Julii anni 1741. cum levi febri correpta eſt dyſenteria, qua primis duobus diebus plurima dejecit bilioſa, mucoſaque ſanguine permiſta cum ventris dolore, moleſtoque in egerendo conatu. Tertio accitus præbui pharmacum ex caſſia, pulpa Thamarind. & ſcr. 1. Rhabarbari, ſed perſeverante fluxu parum imminuto cum ventris dolore, crebroque irritamento ad dejiciendum, tribus diebus ab

exhi-

Digitized by Google

exhibito cathartico propinavi uncias 4. olei amigdal. dulcium recentis de more parati, quod e veſtigio compeſcuit ventris cruciatum, omnemque excretionem, ut eo die alvus prorſus immota fuerit, cum aliqua tamen gravitate ventriculi. Poſtero bis excrevit valde biliosa ſed incruenta ſine ventris dolore, muco, & moleſtia in egerendo. Duobus conſecutis diebus pauca dejiciens & cum levi moleſtia, nullius indiguit remedii. Nempe oleum ſe ſe placide lateque inſinuans auferenſque contractiones membranarum, dolores ſedavit, atque materiam adhærentem, cauſſam morbi eduxit, quæ ſane præſtare nequeunt purgantia, quæ opus ſuum irritando conficiunt. An alii id remedium experti ſint ignoro, ſed expertos eſſe improbabile non eſt. Tamen placuit hoc experimentum iccirco emittere, quod ex multis auctoribus, quos percurri, nullum inveni in curatione dyſenteriæ eodem uſum. Simili ratione, qua oleum, lac aſininum excoctum ab Hippocrate, uti narrat *lib. 7. Epid.* copioſe propinatum ad purgandum profuit filio Eratolai difficili dyſenteria vexato. Multa bile per lac educta, ceſſarunt dolores, appetitus acceſſit.

OBSERVATIO QUINTA.

Dolor colicus pluries recidivus.

Die 13. menſis Auguſti anni 1706. Venetiis Mercator Armenius Evangeliſta de Pannos ann. 44. temperamenti bilioſi, & melancholici, qui ſex menſibus ante celticam gonorrhæam contraxerat, correptus eſt dolore ventris acuto vago quidem, ſed infeſtiore & conſtantiore in ſiniſtro hypochondrio. Sitis ingens, æſtus

in toto corpore, vigiliæ continuæ, pulſus intro reductus, urinæ craſſiores bilioſæque, vomitus pertinax, ſed ſolius cibi, copia flatus ſuperne magis quam inferne egredi nitentis. Prægreſſæ cauſſæ fuerunt, æſus peponum, aliorumque fructuum horariorum jejuno ventre, deinde potus vini nive refrigerati; atque licet indicato die dolor vehementior fuerit, ante tamen aliquot dies levior præceſſerat. Itaque ſtatim injectus eſt clyſter emolliens expurganſque, a quo horas 5. non modicum levamen accepit, ſed noctu recrudeſcente dolore, fere nihil dormivit, vomuitque de more. Poſt mediam noctem injectus eſt clyſter ex ſolo oleo communi; qui modicum levamen attulit, egeſtionem nullam. Mane præſtitum oleum amigdalarum dulcium cum manna rejecit, & deinde magis ſævientibus doloribus impoſitus eſt clyſter ex unciis 7. olei lilior. alb., & 5. olei chamemælini; qui ſubitam ingentem multoque majorem mitigationem attulit, quam dejectionem; poſt quam potuit cibum ſumere, ſumtumque retinere, horaſque duas dormire: iiſdem tamen oleis facta inunctio ventris potius aſperavit dolorem quam lenivit, ideoque derelicta. Hora 23. etiam ex conſilio D. Hartmanni propinatæ ſunt unciæ 4. olei amigdalarum dulcium, præmiſſo bolo ex drachmis duabus electuar. lenitivi cum granis 7. magiſterii mechoachani, hique boni ſucceſſus conſecuti ſunt: retinuit cœnam, dormivit, & mane multa bilioſa egeſſit. Tribus diebus vehementia doloris abſuit, tantum ſuperſtite in ſiniſtro hypochondrio remiſſiore, cum dejectione appetitus, carnium averſatione, & urina bilioſa. Iteravi igitur purgationem infuſione rhabarbari, & ſirupo roſato ſolutivo: ex quo copioſa egeſtio facta trium dierum quietem tulit; quarto dolor reverſus eſt, & pene æqualis vehe-

Digitized by Google

vehementiæ, mutata tantummodo vomitione, quæ primo erat ſolius cibi, deinde materiæ bilioſæ varii coloris, ſed frequentius lutei: tamen repetitis clyſteribus emollientibus, & purgantibus intenſio cruciatus remiſſa eſt, quem penitus ſedaturus præbui ante cœnam ſcrupulum agarici, & rhabarbari: quibus provocata quidem eſt copioſa egeſtio, non evulſa tamen recidivi doloris cauſſa noctu interdum recurrentis. Ingenti ſiti ſæpe vexato auxilio erat aqua de ſucco malvæ cum modico aquæ cinnamomi, qua potione nullam conducibiliorem in toto morbi curriculo expertus eſt. Porro inſtans flatuum difficilis eruptio adjuvabatur permiſtione aquæ ſtillaticiæ florum chamemæli & bugloſſi, vel aquæ theriacalis, & meliſſæ. Intermiſſionem pertinacium vigiliarum efficiebat *emulſio* ex drachmis 2. ſeminum melonum, totidemque papaveris albi, addito grano laudani nepentes. Refectis viribus, quamvis leviores dolores interdum recurrerent, Patavium adivit, ubi poſt triduum recidit in graviſſimum cruciatum refricatum, uti par eſt credere, a motu forti, quem obierat toto prægreſſo triduo urbem perambulando, eademque de cauſſa accenſa eſt manifeſta febris, urinæ redditæ coloratiores, craſſioreſque. Commiſſa fuit curatio comiti Caſale famigeratiſſimo Medico, qui ſecundo die ab renovato affectu juſſit, aperiri venam manus dextræ, tertio ſiniſtræ, ſed Chirurgus, ut expeditius ſanguinem educeret, venam utriuſque brachii pertudit; eodemque die perveni Patavium ab ægroto acceſſitus, quo aliquantum vehemens dolor remiſerat. Tamen angebatur anxietate quadam ventriculi, & propenſione ad vomendum cum eo ſenſu, quaſi animo defecturus eſſet, narravitque multo plus bilioſæ materiæ rejeciſſe Patavii quam Venetiis. Nocte antegreſſa acce-

perat

perat granum laudani nepentes, juſſu comitis *Caſale*; ſed inutiliter: quare præbui indicatam ſoporiferam *emulſionem* numquam incaſſum præſtitam, quæ aliquot horarum placidum ſomnum attulit, & prope febris extinctionem. Urina tamen dies tres ejuſdem conditionis perſeveravit; poſt quos redivi Venetias: octo adhuc dies ægrotus Patavii permanſit, ſed perſentiens indicia imminentis augmenti doloris Venetias reverſus eſt; eumque hora quarta noctis conveniens valde debilem inveni, & cum ventris non intenſo dolore. Itaque poſt cibum ſumſit modicum ſirupi de corticibus citri cum aquis meliſſæ & bugloſſi, quibus quatuor horarum placidus ſomnus ſucceſſit. Die proximo, qui Jovis erat, mæſtus & nauſeabundus jacuit, tamen abſque forti dolore. Die Veneris manifeſte febricitavit, incœpitque vomere bilioſa, porracea, & pituitoſa, uberiorque vomitio perrexit in ſequentem uſque diem. Quum autem alvus per aliquot dies ſatis laxa non fuiſſet, impoſito ſolito clyſtere flava excrementa, figurataque educta ſunt cum doloris allevatione; eodemque die Sabbati iterato ſimilis evenit excretio, immo inclinante die alvus ſponte ſoluta eſt, perrexitque excretio ad veſperam uſque ſequentis diei, cum integra ferme doloris ceſſatione. Ceterum ad præcavendum doloris reditum exhibui ante cœnam unciam dimidiam electuar. lenit. cum drachma tartari ſolutilis: quibus obtenta facili, & copioſa vacuatione, remediorum occaſio deſiit. Ultima vice, qua poſt reditum Venetias renovatus eſt dolor ventris, etiam exterius corpus dolebat, nec manum tangentis innocenter perferre poterat: quin etiam, dum per lectum movebatur, quemdam horrorem perſentiebat.

Deſcriptum dolorem colicum fuiſſe ex loco occupato citra

citra dubitationem eſt, eumque genitum a corruptione ſuccorum in varia excrementa, ſed potiſſimum bilioſa; idque probant ſimile temperamentum laborantis, tempus æſtivum, qualitas doloris, aliaque narrata. Excrementorum vero partem majorem in prima regione concluſam fuiſſe ex uſu recenti ciborum promte corruptibilium exiſtimo, aliquam tamen portionem etiam in venas illapſam, a qua poſtea alii corrupti ſunt humores. Licet autem dolor fortior eſſet ſtabiliorque in ſiniſtro hypochondrio, tamen ſplen tenſione, dolore, & tumore carebat, neque propter ſuam laxitatem poterat tam acutum dolorem inferre: ideoque cauſſa eam partem validius, & diutius affligens videtur referenda ad anguſtiam in ea parte primo a Bauhino obſervatam, vel ad inteſtinum forſitan in ea parte exquiſitioris ſenſus. Non pauci Medici in ægrotis aliquod inquinamentum gallicum paſſis, ſi novus morbus exoritur, ferme magnam partem cauſſæ longitudinis, difficiliſque curationis prægreſſo vitio attribuunt, ſæpe tamen abſque legitime ducta conſecutione. In iſto autem ægroto opinor, nil peculiare contuliſſe immundæ Veneris noxam morbo producendo, & renovando, ſed ſolum hac communi ratione, quod ea labes potiſſimum ventriculum infirmans forſitan effecit, ut citius & facilius corrumperentur cibi nuper accepti, natura ſua promte corruptibiles: quorum evacuatione, eorumque, qui vaſa ſubjerant, fomes doloris pluries recurrentis abſque remedio vi ſingulari celticæ lui oppoſito abductus eſt.

In curatione deſcripti doloris minime ſecutus ſum morem multorum in hac regione cito incidendæ venæ ob metum inflammationis, quem ſolum concipio ex propriis ejus indiciis, non ſenſu quodam populari plurium

Digitized by Google

rium medentium rectore. Eſt communis ſententia, dolorem colicum cieri vel ab humore ſolvente continuum, vel flatu, vel inflammatione; proponiturque curatio cauſarum diverſitati idonea; quæ ſæpe nullam venæ ſectionem exigit, uti liquet ex praxi clariſſimorum auctorum dumtaxat utentium phlebotomo, ſi ſanguis redundet, vel adſit rationabilis ſuſpicio inflammationis conflata a febre notabili, vel affluentia ſanguinis, vel a calore partium dolentium, aliiſque ſimilibus notis. Ceterum excitato dolore vel a pituita infixa inteſtinis, vel ab acribus humoribus, vel flatu, ad emollientia, diſcutientiave & evacuantia confugiunt, cauſſam ablaturi, venæ ſectionem prætermittunt. Hæc profecto inter laxantia auxilia a Methodicis repoſita fuit, reponendaque eſt, & hoc nomine in uſum vocari poteſt certis poſitis conditionibus. Enimvero in colico dolore alia ſuppetunt utiliora laxantia abſque ſanguinis diſpendio, quod ex peculiari cauſſa efficiendum eſt, non ex communi doloris, quaſi in quolibet dolore brevi non ſedato inflammatio impenderet, contra quam experientia oſtendit. Aderant in noſtro ægroto ætas conſiſtens, temperatura calida, æſtus in toto corpore, dolor pungens, aliaque narrata, neque tamen inflammationem timui, abſtinuique a phlebotomo, animumque intendi ad educendos noxios ſuccos genitos ex mala victus ratione recenter præpoſita. Idem viſum eſt Venetiis celebratiſſimo Medico Hartmanno, quamvis dolor pridie incœpiſſet, adhuc ſæviret. Poſtquam ſedatus eſt majori ex parte, iterum recruduit dolor, in quem non apparentibus inflammationis indiciis, iterum purgantibus non ſcalpello pugnavi, ſemper ante oculos habens nupera errata in victus ratione cauſſam morbidi ſucci

con-

Digitized by Google

congeſti, cujus iteratæ excretiones partim ſpontaneæ, partim petitæ ſalutem reduxerunt, ut in aliis doloribus colicis ſæpe vidi.

Hæc ſola expoſita obſervatio non infirmum argumentum ſuppeditat, præter rationem feſtinanter ſanguinem effundi ad præcavendam inflammationem ex ſolo generali doloris indicio formidatam. Poſſem alias plures addere idem confirmantes, unicam tamen addo, ex qua etiam pavidi animos ſumere poſſunt, in vehementia quoque doloris poſſe abſtineri a phlebotomo ſine superventu inflammationis. Johannes Sangantius Mercator Pithuerienſis menſe Februarii anni 1516. incidit in dolorem colicum adeo vehementem, ut aſtantes hominem illico moriturum putarent. Ante tertium diem accitus eſt Petrus Foreſtus, uti narrat *lib.* 21. *de inteſtinor. aff. ſect. Obſervat.* 2. Ægerque antea acceperat ſuaſu mulieicularum medicamenta calidiſſima ad diſcutiendos flatus. Quædam inſuper vetula garrula aſſerens, delapſos eſſe pulmones ad ventrem, & inteſtina, appoſuit ventri albumen ovi impenſe excalefactum cum pipere tenuiſſime contrito; unde adaucto dolore vociferabatur æger a Vetula necatum eſſe. Quamquam autem tam immaniter dolor ſæviebat, ingeſta, & admota fuerant calidiſſima, venis pepercit Foreſtus, nec metuit inflammationem, & ſola vacuatione per alvum dolorem ſedavit; immo in nullo dolore colico venam aperuit, etiam plures dies perſeverante metu vulgari inflammationis; & ſolum aperuit in orto ex inflammatione, ſignificata ex ingenti febri, dolore vehementi & calore ventris, pulſuque arteriarum in loco doloris. Quin etiam in Henrico Henrici laborante ſex dies dolore nephritico, cum integra urinæ ſuppreſſione, numquam venam incidit idem Foreſtus, nec alii Medici in conſilium

vocati inciſionem propoſuerunt: neque tamen inde ulla pars eſt inflammata; & tandem excrevit calculum magnitudine, & forma nuclei pruni. Quod ſi quis ægroto ſalutariter vomente, non ex ſola irritatione, alvumque recluſam habente, adhuc timeret inflammationem, venamque tunderet, nonne abſque ratione timeret? Audi tamen quid mihi contigerit Patavii. Ante paucos annos accitus mane diluculo ad curandam mulierem, quæ eadem nocte incœperat pati dolorem colicum ex æſu cibi ventoſi, aliorumque in cauſſam illius procliviter mutabilium, propinavi uncias ſex olei amigdalarum dulcium, ut per ſuperiora, vel inferiora vitioſa alimenta die prægreſſo comeſa excernerentur. Supervenit ejus Medicus domeſticus, qui perculſus timore inflammationis ſtatim decrevit, etiam innatante oleo in ventriculo venam reſignandam eſſe. Obſtiti tamen aſſerens, me inflammationem minime metuere, neque deinde repugnaturum eſſe ducendo ſanguini pro data occaſione. In hoc diſſidio advocatus eſt ſenior Medicus, qui mecum fecit, neque metuit inflammationem, licet ſenectus etiam non timenda ex facili timeat. Interim facta mora horarum circiter duarum, cum oleo copiam quiſquiliarum evomuit; & poſt exoneratum ventriculum adhuc domeſticis venæ apertionem optantibus, permiſi præſumtam opinionem exſequerentur. Quid enim recuſarem? Approbatur ab ignaro vulgo, & commendatur ratio dicentis Medici, non eſſe exſpectandam inflammationem, ſed venæ ſectione de longe vitandam. Qua cautione jactata mens idiotarum perſtringitur, refertque ad providentiam, quod eſt Medici, vel recto ratiocinio deſtituti ad expendenda momenta ſignorum, vel expendere negligentis, interea ignorantiæ, negligentiæve ægroto pœnam luente. Secta igi-

Digitized by Google

igitur eſt vena brachii, poſtmodum tali, ceſſavitque dolor poſt vomitionem aquæ copioſæ, ſed difficulter & longo tempore recollegit vires priſtinumque corporis ſtatum, remedio magis quam morbo retardatum. Sed hoc eſt fatum Medicinæ ex imbecillitate mentis humanæ parum inſtructæ, ut ſæpius noceat quam proſit.

Redeo ad ægrotum Armenium, qui in noviſſimo doloris recurſu per lectum ſe ſe volvens exterioribus partibus dolebat cum quodam ſenſu horroris, quem, itemque dolorem partium exteriorum interpretatus ſum indicium eſſe, materiam morbidam admodum eſſe attenuatam, diffuſamque craſſiorem expulſam, propterea parum integram ſalutem abeſſe, uti accidit, nullo deinceps veſtigio doloris ventris ſuperſtite, aut renovato.

OBSERVATIO SEXTA.

Icteritia rara.

LAurentius Bacchetti clari nominis Medicus Patavinus 73. annorum, temperamenti ſanguinei, quadrati corporis, boni habitus, vitam valde exercitatam in inviſendis ægrotis degens, ſub initio menſis Septembris anni 1732. incœpit laborare Icteritia flava, primum, uti ſolet, patefacta in oculorum albo, & fronte, in urina ex nigro flava, in alvi excrementis albis. Primis decem diebus incipientis morbi nulla fere fuit mutatio in ſomno, in guſtu ciborum, in reliquis corporis actionibus; quam principii levitatem vidi etiam in regio morbo nobilis Patavinæ, quem mox enarrabo. Verum mite initium brevi ſubſecutum eſt grave incrementum, quod intra menſem ad apicem & ſtatum pervenit. Deje-

Digitized by Google

ctus ciborum appetitus, contractus ſomnus ad paucas horas, interdum nullas, fere continua oris ſiccitas, tantaque, ut vix loqui poſſet, & idemtidem cogeretur frigida linguam proluere, præ ſiccitate in rimas aliquantum excavatam, pruritus totius corporis continuus & valde moleſtus, infeſtuſque quieti ſomnoque; quare fatiſcentibus viribus cœpit aſſidue decumbere. Principio morbi ſenſit, ſe habere in dextro hypochondrio tumorem, deinde una cum morbo adauctum, magiſque conſpicuum redditum, vacuum tamen dolore, quo pariter, & tenſione totum dextrum hypochondrium vacuum fuit. Pulſus 50. dies parum receſſit a naturali, & ſolum manifeſte febricitavit ab accepto pharmaco ex ſenna & manna, addita pulſui tenſione, & parvitate; unde incœpi ejus ſalutem deſpondere. Diebus 5. poſt hanc mutationem pulſus, urinas non leviter cruentas excrevit, quibus perterritus me curationis cauſſa accivit, quem antea quidem quotidie inviſeram, ſed potius amicitiæ, & inſpiciendi totius morbi curriculi gratia, quam medicationis: quo porro die cruentum minxit, obſervavi linguam nigram, denteſque.

Curatio remediis abundavit, aliis ſponte acceptis, aliis aliorum Medicorum ſuaſu, quem fere omnes Medici Patavini convenerunt alii alia ſuadentes, multa ægroto exſequente. Fuerunt iſta rhabarbarum cum ſucco agrimoniæ, interdum etiam cum ſero lactis & magneſia, gummi ammoniacum, ſal ammoniacum, ſpiritus beccabungæ, idque genus alia, omnia mihi ſuſpecta animadvertenti magnam oris ſiccitatem. Quæcumque enim primaria cauſſa mali foret, certe erat hujuſmodi, ut ſiccitatem induceret, quæ proculdubio a calidis acribus, & diſſolventibus medicinis crebro uſurpatis incre-

men-

Digitized by Google

mentum captura erat, de quo non ſemel ægrotum admonui. Ergo quum ſe mihi curandum tradidit ob minctum ſanguineum, amotis omnibus, quæ antea ſumebat, ſtatim propinavi aquam Nocerianam cum nitro purificato, qua ter hauſta, lingua denteſque ad veſperum colorem nigrum exuerant, mitigata ſitis erat, meliorque pulſus conditio; treſque intra dies urinæ cruentæ omnino ceſſarunt, evaſitque earum color modo niger, modo ex nigro viridis, aut flavus. Non alio remedio quam prædicta potione octo dies exegit, ſed poſtea cibum admodum faſtidienti præbui drachmas 2. caſſiæ, & pulpæ thamarindorum cum pulvere liquiritiæ, ut tergendo ventriculum cibi faſtidium imminuerem, ſicuti uſuvenit. Enimvero poſt tres dies cœpit leviter ſingultire, præſtitiſque tribus drachmis electuar. lenitivi cum drachma tartari ſolutilis, quantum ſatis erat, dejecit, ſed nulla cum utilitate; & die 4. ab hoc leniente ſumto exceſſit.

Pridie quam mortem oppeteret, mihi injunxit, ut ejus cadaver aperiri curarem ad alios erudiendos de cauſſa ignota tumoris morbique. Itaque me, aliiſque tribus Medicis inſpicientibus diſſecto ventre inferiore, amotiſque integumentis, apparuit tumor ſupra inteſtina magnitudine ovi gallinacei excitatus a veſica fellea extra hepar producta, & humore non ſuo repleta. Hepar nigrum erat durumque, inciſumque effudit nigrum ſanguinem, ſed nigriorem inciſa veſica. Scriptum quidem eſt ante aliquot annos ab altero Medico, qui non intererat inciſioni, hepar prægrande fuiſſe: quod nec inciſor, nec ego, nec ceteri, qui interfuerunt, uti teſtantur, obſervarunt. Ceterum ſi molis prægrandis erat hepar, cur hæc non apparuit multis, qui dextrum hypochondrium dili-

diligenter explorarunt ? in quo præter dictum tumorem ad finem hepatis, neque tenſio ulla, neque major moles percepta eſt, nec ipſe æger quicquam aliud præter naturam habere ſenſit. Porro tumor mobilis videbatur, & modo major, modo minor, hanc varietatem ſubjectis inteſtinis, modo magis, modo minus tenſis creantibus. Ren dexter exiguus erat contractuſque.

Perarduum erat tumoris ante inſpectionem cadaveris genuinam cauſſam deſignare, de qua multorum multiplex opinio fuit, nulla affirmatio, ipſique ægroto medico adeo difficilis ad deprehendendum viſa fuit, ut per ſolam apertionem cadaveris innoteſcere poſſet. Nulla tamen diſſenſio fuit de ſitu tumoris, qui omnibus infra jecur poſitus viſus eſt.

Cauſſam hujus Icteri in totum ſanguinem conjicio, quo paullatim craſſiore, & ſicciore reddito, ejuſque miſtione perturbata, atque jecore indureſcente impedita eſt bilis expurgatio per vias conſuetas, effuſaque ad partes internas externaſque omnes flavo colore infecit, ſicuti in diſſecto cadavere conſpectum eſt. Craſſando ſanguini ſiccandoque conduxit potus frequens vini generoſi, itemque cocolatæ, quo utebatur in remedium laſſitudinis ob laborioſam corporis exercitationem in ægrotis inviſendis; item elongandæ veſicæ felleæ ad id natura paratæ conduxit motus frequens in rheda paullo poſt prandium viſcera concutiens ob inæqualia ſaxa viarum. Tumebat cyſtis humore valde nigro, ſcilicet vitiata bile ibidem ſtagnante non effuſa ad inteſtina, id probantibus excrementis albis, non nigris. At unde accidit, ut totum corpus flavum eſſet, niger impenſe humor concluſus in capſula fellea ? Flavedo certe ſparſa per univerſum corpus referens naturalem bilis colorem

orta

Digitized by Google

orta non eſt ex bile ab hepate in ſanguinem reflua, ſed ex illius inhibita ſecretione, quæ ſanguini intermiſcetur, atque inhiberi poteſt, vel ex turbata ſanguinis miſtione, & parte bilioſa in ſuperficiem emerſa, vel ex obſtructione glandularum hepatis, aut vaſorum felleorum. Poſſe vero abſque ulla obſtructione in hepate Arquatum fieri, demonſtrat experimentum Nicolai Pechlini traditum in ſuis Obſervationibus Phyſico-medicis affirmantis, ſe vidiſſe Anatomiam Icterici, cui neque folliculus, neque ipſum hepar a calculo, aliave materia occluſum erat: quin immo in hepatis ductus infuſus liquor cæruleus in glanduloſi viſceris penetralia, & ſuperficiem ſuo colore tranſiit, ex quo ſervato conſtituit, eum morbum non generari ab obſtructione hepatis, & vaſorum biliferorum, ſed potius hanc illius effectum eſſe; idque evenire, ſi aliquid extraneum perturbat humorum concentum, bilioſum amarumque fermentum in ſuperficiem evocet, multumque ſanguinis in bilem vertat. Hujuſmodi fuit Icteritia, qua menſe Februarii anni 1738. incœpit laborare Patritius Venetus, qui ſub incipiente Aprili Patavium venit, ut attentius ſuæ reparandæ ſaluti vacaret. Nullus præceſſerat dolor in regione jecoris, nullus erat tumor, duritia, aut tenſio, uti comperit etiam celeberrimus Anatomicus Johannes Baptiſta Morgagnus diligenter explorato ventre tribus circiter menſibus poſt morbum. Erat tamen inſolitum quiddam in Ictero, ingens urinæ affluentia, ob quam cauſſaſque præpoſitas, nempe vigilias, atque inordinatum exercitium corporis conſtitui in conſultatione habita cum duobus famigeratis Medicis, cauſſam primariam affectus eſſe bilem acrem copioſorem evectamque per ſanguinem fuſam, ipſumque ſanguinem corrumpentem & diſſolventem;

pro-

Digitized by Google

propterea nihil acre convenire, & per aliquot dies dumtaxat ſerum lactis caprini cum nitro purificato propinandum: unde proſequendæ curationis certior indicatio duci poſſet: ſed medicatio aliorum arbitrio, atque conſueta communiter in Icteritia peracta eſt: Quid enim nequeat conſuetudo, quæ ægrotantium, & Medicorum mentem perſtringens, propemodum totius medicationis præceptrix eſt, & vitæ mortalium domina, derelicta laborioſa particularium inquiſitione? Ceterum perteſus ægrotus moræ Patavii Venetias redivit, ubi multis commiſſis erratis in victus ratione poſt duos circiter menſes incœpit apparere tumor durus in parte ſuperiore jecoris ad ventriculum extenſus, profecto ipſius icteritiæ effectus, ſive perturbatæ miſturæ ſanguinis, elatæque bilis, ut ait Pechlinus, icteritiæ effectricis. Excitato igitur tumore nobiliſſimus patiens ſuæ ſalutis cautior diligentiorque factus, ut ei reparandæ operam attentius daret, circa mediam æſtatem Patavium reverſus eſt. Inſtituta fuit curatio decoctionibus aperientibus, ſapone philoſophico, atque ex intervallis rhabarbaro, quibus nil proficientibus, Venetiis clari nominis Medicus accerſitus eſt, habitoque collegio cum aliis Medicis Patavinis, cui pariter interſui, præcipuum ab aliis propoſitum remedium fuit potio aquæ copioſa, immo copioſiſſima (loquor verbis unius ex collegio.) Obſtiti propoſito, affirmavique in obſtructione, & tumore hepatis cum Ictero cavendam quidem eſſe ſiccitatem, ſed non minus magnam abundantiam potus aquæ. Ceterum tribus aliis collegis in ſententia perſiſtentibus data eſt facultas ægroto bibendi quantum vellet, & quantum poſſet. Uſus hac facultate diu noctuque multum bibens paucis diebus manifeſtum principium hydropis contraxit, & magnam aquæ averſationem.

Re-

Reverſus deinde Venetias, ibi admodum gliſcente hydrope, cum immani ventris tumore fato conceſſit. Ergo qui principio Aprilis in habita conſultatione mihi proponenti per aliquot dies uſum ſolius ſeri caprini cum nitro purificato aſſenſus non eſt, facto tumore hepatis uberrimam aquæ copiam una cum aliis ſuaſit.

OBSERVATIO SEPTIMA.

Icteritia in nobili Patavina, ex qua communis uſus bilis in dubium vocatur.

NObilis Patavina Dom. Comitiſſa Claudia A Ponte ſingulari prudentia ornata ann. plus minus 78. poſt dimidium menſem Martii 1738. incœpit affligi capitis dolore, & paullatim infici flavedine. Poſt novem dies ab inchoato morbo, quibus ter marte ſuo acceperat cremorem tartari, vocatus obſervavi faciem ægrotæ non parum extenuatam flavamque, urinam ex flavo adeo rubentem, ut procul ſpectata aliquibus ſanguis viſa fuerit, excrementa alvi albentia inſtar argillæ. Hepatis regione explorata nullum inveni tumorem, tenſionem nullam, tantummodo querebatur ſe ſe perſentire in ventre ſtrepitum quemdam valde moleſtum, qui tamen ab aſtantibus non percipiebatur. In decurſu vero morbi explorato non ſemel ventre, dum hepatis regionem comprimebam, ea parte dolebat, nihil ſine compreſſione. Decem diebus, a quo tempore eam inviſi, noctu dormivit fere ut per ſanitatem, tamque leviter ferebat morbum, ut mihi non ſemel dixerit, ſe propemodum nihil moleſtiæ inde percipere: quam deinde percipere cœpit inquiete noctis, pruritu totius corporis,

V aug-

Digitized by Google

augmento caloris noctu diuque poſt cibum, oris amarore, dejectione appetentiæ, ariditate faucium, & ſiti maxime hora 22.; qua magis incaleſcebat. In pulſu præſertim mane nulla erat frequentia febrilis; quamvis corporis habitus calidior eſſet. Quo tamen tempore intendebatur calor, pulſus erat aliquanto frequentior elatiorque, quamdam mutationem affinem febri repræſentans, non febrem manifeſtam.

Quoniam, antequam ad curationem accederem, ter accepto cum ſero cremore tartari ſatis purgata erat, & ob virium debilitatem cogebatur decumbere, ſtatim propinavi juſculum molliens aperienſque ex radicibus malvæ, graminis, fœniculi, & ante juſculum bolum ex confectione hyacintina cum aliquot granis ſalis abſinthii: quibus nil proficientibus ſubſtitui bolum ex ſucco denſato marrubii cum modico pulveris liquiritiæ, ſed nullo pariter ſucceſſu. Enimvero gliſcentibus calore, ſiti, ſiccitate, extenuatione corporis, die 7. Aprilis beneficio opportunæ tempeſtatis confugi ad uſum ſeri lactis caprini defecati, poſtque tres dies ab aſſumto melius habuit, aliquantum viribus reparatis. Quum incœpit perſentire dolorem in regione hepatis ex compreſſione, præbui ſcrupulum unum gummi ammoniaci cum granis octo ſpermatis ceti, quem ſolum tribus diebus accepit, abſtinendique cauſſa fuit quædam inſolita commotio viſcerum: perſeveravit tamen in uſu ſeri perſiſtente intenſiore calore naturali præſertim noctu cum plurium horarum vigilia. Urina depoſita ſanguinea rubedine contraxit colorem ex flavo viridem nigrumque cum graveolentia. Porro ab die 13. Aprilis uſque ad diem 10. Maii nulla uſuvenit notabilis mutatio præter quam in viribus magis acciſis. Urina ſemper ejuſdem con-

conditionis, itemque alvus pro ratione accepti cibi potius laxior, quam reſtrictior. Die tamen 10. Maii ſolito copioſior dejectio fuit, & duobus conſecutis diebus dejecta mediocriter cocta; ſed uncia circiter ſanguinis a fecibus ſeparati effluxit. Die 11. Maii veſpere manifeſte febricitabat, itemque duobus proximis diebus, poſt quos ad priſtinum morbi ſtatum redivit. Die 13. cum ſolitis fecibus copioſiorem quam antea ſanguinem excrevit; ſed bolo præſtito ex margaritis occidentalibus, & modico confectionis hyacintinæ, & ſuperaddito juſculo cichorio medicato deſtitit ſanguinea excretio. Interdum capitis dolore, ſed ſæpius moleſto calore afficiebatur, quem egregie leniebat petia lacte muliebri imbuta, & aqua roſarum albarum. Octo ſequentibus diebus eadem morbi facies fuit, modo magis, modo minus calore, vigiliis, ſiti, pruritu vexantibus, quibus occurrebam aliqua varietate remediorum ad idem facientium, ſed mutatione gratiorum. Die 24. incœpit pati frequentem mejendi voluntatem, qua una eademque nocte vigeſies minxit, modicum quidem, ſed irritatione tanta, ut dilationem non pateretur, nec ultra duos dies hæc novitas ſubſtitit, nilque gravius ſubſecutum eſt. Die tantum 30. incœpit pulſus debilitari, calor minui, ſitis, pruritus, vires ita languere, ut ſe ſola nequiret in lecto moveri. Venter tamen abſque ullo ſtimulo ſatis indigentiæ fecit, excretaque ſemper figurata fuerunt præterquam extremis duobus diebus. Die 5. Junii poſt receptum juſculum multum viſcidi, & ſpumoſi catarrhi rejecit: deinde ſemper magis fatiſcentes vires die 10. cum vita defecerunt.

Quum primum vidi decumbentem tam grandis ætatis paucis diebus facie admodum extenuata, Domeſticis

Digitized by Google

gravitatem morbi aperui, conſtituique nil fortius adhibendum, ita ſuadente ætate, conditione ægrotæ, quæ a validioribus irritamentis oppido turbabatur. Alvus exceptis primis diebus, quibus eam conveni, nullo ſubſtitit. Porro primis diebus aliquanto reſtrictiorem ſatis ſolvit dimidia uncia mannæ cum drachmis duabus & dimidia tartari ſolutilis, & malvæ decoctione. Quamquam autem dolor hepatis, dum comprimeretur, & albida excrementa illud morbide affectum obſtructumque teſtabantur, parcior fui in uſu aperientium fortiorum, a quibus parum ſperabam in corpore ætate, vigiliis, morboque vehementer reſiccato. Eo igitur potiſſimum mentem intendi, ut bilis acrimoniam fervoremque temperarem, viſcerum ariditatem, ſitim, pruriginem, noctis inquietem mitigarem: quo nomine nil frequentius præbui mane ſero lactis caprini, & veſpere urgente ſiti *emulſione* ex decoctione malvæ ſeminibus melonum & tantillo ſacchari, quam etiam hora una poſt cœnam ſumebat, additis interdum ſeminibus papaveris albi. Majori virium imbecillitati præſidio erat *emulſio* ex amigdalis dulcibus, & juſculo vitulino.

Aretæus lib. I. *de morbis diuturnis cap.* 15. exiſtimat, Arquatum etiam provenire poſſe ab inteſtino laxo, quod Græci colon vocant, ſimulque ventriculo, læſa in hiſce viſceribus facultate coquendi, ut qui opinatur etiam in colo concoctionem effici, & ab ipſo alimentum in jecur digeri, atque cruditatem in colo eſſe bilis effectricem. Quo igitur tempore in jecore laborantis Matronæ nulla nota morbida percipiebatur, & aderat moleſtia, ut ipſi videbatur, turbati ſtrepentiſque ventris, videretur non ſine ratione dubitari poſſe, utrum affectio primam originem duxerit ex cauſſa ab Aretæo indicata,
niſi

Digitized by Google

niſi adfuiſſet albida excretio, quam non reperiri Aretæus aſſerit laborante colo. Quicquid tamen ſentias de hac cauſſa, illud non improbabile judico, poſſe in inteſtino colo bilem generari, uti placet Aretæo, in quo aſſerit Gliſſonius *de inteſtinis cap.* 11. frequentes manifeſtaſque ineſſe venas lacteas ſucco lacteo, & opulento repletas, inſervientes extractioni craſſioris chyli. Probabilem, inquam, judico generationem bilis in inteſtino colo, de quâ non infirmam conjecturam ſuppeditat, quod obſervavi in ſupra deſcripto Ictero Patricii Veneti. Interdum flava excernebat, quaſi multa bile perfuſa forent, & præſertim quum plus ſolito comederet, & dulcia, tametſi hepar obſtructione, & tumore affectum impediret bilis tranſitum ad inteſtina; ideoque non temere opinor, ex cruditate genitam bilem in colo excreta flavo colore aſperſiſſe.

Narrata de Icteritia nobilis Patavinæ communem opinionem infirmant deſtinantem bilem irritandis inteſtinis fæcum evacuationis promovendæ gratia. Toto propemodum ægrotationis tempore alvus ſatis laxa fuit, fæces potius molles quam duræ, quum antea per annos 30. fuerit admodum conſtrictâ, duræ feces ingentique cum difficultate excluſæ. Quid, quæſo, hanc mutationem in ventre effecit? Quid tardam repugnantemque alvum parentiorem reddidit, humectavit, mollivit? Si bilis munus eſt ſtimulare inteſtina ad ejectionem contentorum, hoc ſtimulo deficiente major ſolito alvi reſtrictio conſecuta fuiſſet. Revera Aretæus loco citato inquit cum multis aliis, in morbo regio ſtercora albida eſſe, argillamque referentia, propterea quod bilis affluxu carent delatæ cum ſanguine per totum corpus, & iccirco ventrem ſiccum eſſe bile deſtitutum. Oppoſitum tamen eve-

Digitized by Google

evenit, alvuſque tot annorum curriculo tarda & conſtricta ſine adiumento bilis laxata citataque fuit, cujus ſcilicet tranſitum ad inteſtina inhibitum fuiſſe color totius corporis, excrementorum alvi, & veſicæ teſtabatur; quod plane non convenit cum plurimorum placito de uſu bilis. At undenam deſumenda eſt inſolita ventris laxitas in Ictero tot annorum contractioni ſuccedens? Anne ſalutaris habenda eſt? Ea ſolum ratione, meo opinatu, profuit, quod arcuit majorem moleſtiam, quam reſtrictio intuliſſet exigens frequentiora irritamenta omnibus incommoda, ſed maxime ſenio confectæ. Ceterum ſtatim ac vidi alvum contra tot annorum conſuetudinem adapertam, in ſuſpicionem veni, in ejus cauſſa eſſe ſolutionem ſuccorum, & peculiarem corruptionem ob vitiatam bilem ſanguinem inquinantem, ſive, ut ait Helmontius, in flavum virus convertentem; & hanc quoque corruptionem indicabat in decurſu affectionis urina graveolens oleoſa, extenuatio totius corporis, & perpetua ariditas oris. Dum hanc ventris laxitatem inſolitam animadvertebam in hac Matrona, occurrebat quoque, alteram animadvertere in relato Ictero Patricii Veneti, cujus venter fere ſemper laxa abunde fuit, interdum etiam cum dejectionibus liquidis crudiſque, neque tamen bilis admiſtionem exhibentibus. Idem etiam anno 1739. Menſe Julii vidi in ſene pene nonaginta annorum temperamenti ſanguinei, cui Icteritia detento quotidie alvus ſolvebatur, egeſtaque purgamina liquida & albida erant.

OB-

OBSERVATIO OCTAVA.

Hydrops in Sene 65. annorum.

DOm. Petrus Riccii ann. 65. temperamenti melancholici, menſe Martii anni 1738. incœpit laborare Aſcite, cujus medicatio inſtituta fuit variis aperientibus, uſuque frequenti purgantium hydroticorum, iſtaque fuerunt potio *magiſtralis* cum infuſione jalappæ, eadem radix infuſa vino albo, magiſterium mechoachannæ, trochiſci alhandal, ebulum. Alia præterea crebro uſurpata ſunt purgantia, ſirupus cacheticus Fernelii, ſal anglicum cum tartaro ſolutili, poſtremo flores caſſiæ, vel ejus *conſerva*, modo ſola, modo admixta ſali anglico cum tartaro ſolutili, quam pluribus fere continuis diebus ſumſit; quibus nil proficientibus, morboque in deterius ruente, hujus curatio mihi commiſſa fuit circa initium Julii, quo tempore hunc ſtatum ægroti comperi. Facies gracilis, color ex pallido obſcurus, tumidus duruſque venter, itemque ſcrotum, femora, ſed magis crura; urinæ admodum paucæ rubræque, exigua febris, qua tamen non cogebatur ſemper decumbere, nec domi manere. Quo die acceſſi ad curationem, acceperat caſſiæ *conſervam*; rogaruntque domeſtici aliorum ſuaſu, permitterem, adiret thermas Aponi ſudoris eliciendi graria; quandoquidem multis annis ante morbum æſtivo tempore tam large ſudabat, ut e culcitra madefacta ſudor deflueret, eique ſuppreſſo morbi ortus imputabatur. Mihi tamen ſuſpectum remedium viſum eſt, cœpique conſilium experiendi, ſi poſſet procliviter in lecto ſudor evocari appoſitis duobus vaſis ſtanneis aqua fervida reple-

Digitized by Google

repletis; quorum uſu quatuor diebus nullam ſudoris ſtillam exprimente, ceſſatum eſt, quum præſertim etiam pulſus frequentior, tenſiorque evaderet, nihilque boni ſperabile appareret, non deeſſet mali timor. Et hercle nullam etiam utilitatem ante experimentum expectabam, dumtaxat factum, ut amolirer opinionem domeſticorum, qui animum induxerant, fore, ut ægrotatio expugnaretur educto ſudore, in hujus defectum cauſſam morbi rejicientes. Enimvero quantæ operæ erat id impetrare non paucis diebus, vel menſibus ante morbum inhibito ſudore, ſed decem annis? Ergo compoſito animo prudentis uxoris, & amicorum die 10. Julii præſcripſi ſcrupulos duos gum. ammoniaci, & dimidium millepedum, ſuperaddito hauſtu decoctionis radicum malvæ & fœniculi, quibus aliquantum laxabatur veſica, magis alvus. Interea quamvis non eſſet imminutus tumor ventris, aliarumque partium, tamen pulſus quietior, & parum diſtans a naturali ſpem curationis auxit. Die 21. accepit tres drachmas electuar. lenitivi cum duobus ſcrupulis agarici, & quinque granis diagridii; & inde large commodeque purgatus eſt. Dejecta erant viſcoſa, coloriſque ex obſcuro cinerei. Poſt dies 4. iteratus eſt bolus ex gummi ammoniaco cum millepedibus, & hauſtu prædictæ decoctionis, incœpitque urina abundantior eſſe, minuſque colorata. Deinde in reliquo curationis excurſu ſemel tantum porrexi duos ſcrupulos agarici trochiſcati, & unum ſaponis tartarei, quo æger ſenſit ſe magis allevatum, quam ab alio quocumque purgante. Allevationis conſecutæ argumentum fuit copioſior urinæ excretio, alvus ſingulis diebus & noctibus non ſemel ſoluta cum aliqua imminutione tumoris. Incœpit per id tempus calor æſtivus

præ-

Digitized by Google

præter modum fervere; ideoque deſtiti porrigere omne diſſolvens remedium, tantummodo præſtitis octo novemve diebus menſe Auguſti aliquot granis ſalis abſinthii cum infuſione herbæ Te, qua etiam per ſanitatem delectabatur. Ceterum toto hoc menſe alvi commoda laxitate, & urinæ excretione perdurantibus, venter mollior redditus eſt cum manifeſto decremento tumoris, itemque aliarum partium. Poſtea remiſſo calore tempeſtatis 20. diebus mane hauſit urinam pueri, quæ jam inchoatos proſperos ſucceſſus ab expedita, & abundantiore minctione, pariterque ſpontanea alvi ſolutione propemodum perfecit. Quippe intra 12. plus minus dies abſque alio remedio reſolutus penitus tumor eſt, reſtitutaque in integrum ſalus, immo robuſtior, quam ante morbum, qua in præſens perfruitur.

Quum ad curationem acceſſi, conquerebatur de infeſto crurum tumentium pruritu frequenter ſomnum retardante, aut interturbante; quibus antea admota erant calida fomenta ad diſcutiendum tumorem, quaſi hic ſeparatim a ventre diſcuti poſſet ſcaturigine humoris inflantis crura, aliaſque partes. Remedio fuit ter repetitus fotus ante cœnam prurientium partium ex decoctione lapatii acuti in ſero lactis; eademque, quoties reverteretur pruritus, ſedabatur.

Aretæus *de morb. diuturn. lib. 2. cap. 1.* ait, Hydropem, injucundum eſſe aſpectu vitium, & difficile toleratu, quo perpauci liberantur; idque felicitate quadam, ac Deorum potius, quam artis auxilio. An non igitur major felicitas erit, ſi convaleſcat ſenex quatuor jam menſibus hydrope laborans? Hunc autem Aſcitem fuiſſe oſtendunt tumor ventris cum aliquanta fluctuatione, dum in latera volveretur, pariterque omnium inferiorum partium ma-

X gna

Digitized by Google

gnæ inflatio; cujus curatio aperte redarguit ſententiam Sydenhami generatim affirmantis, in hydrope fortem celeremque purgationem utilem eſſe, noxiam debilem, atque ex intervallis factam, cum quo pariter negotium habui in opere de offenſionibus Medici operoſi. Eſt magni momenti, ſemperque ante oculos habenda ſententia Galeni affirmantis, tot eſſe methodos medendi quot morborum ideas, quæ profecto variant pro diverſitate temperaturarum, cauſſarum, aliorumque accidentium, ut nihil generatim prolatum in uſum commode venire poſſit in ſingularibus, niſi ea diverſitate conſiderata. Pluribus fortibus, iiſque crebro repetitis catharticis præſtitis deſcripto ægroto, antequam curationem inirem, nihil imminutus eſt morbus, ſed adaucta macies, ita labefactatus ventriculus, ut parum admodum cibi capere poſſet. Debilitata vero coctione, everſaque alimenti officina quid boni ſperari poteſt derivandum in univerſum corpus? Alimentum ex cibis in ventriculo probe confectum conſervat in ſanguine robur vitale in morbos pugnaturum, contra vitiatum inemendabilem per alias coctiones labem toti diſtribuit. Itaque poſt ſuſceptam curationem dies 12. a purgantibus temperavi; & videns naturam poſtmodum porrecto purganti large obſecutam eſſe, ſolum poſt dies 14. porrexi agaricum cum ſapone tartareo, quo finem omni purgationi impoſui. Præſtitit id blandum catharticum ea moderatione purgationem, ut paullo poſt recreatus ventriculus plus cibi caperet, aliaque indicata commoda conſecuta fuerint: quibus ſuadentibus, vehementique cæli calore deliberavi, reliquum operis naturæ committendum eſſe, quam ſperabam multo magis adjutum iri ab aeris fervore, quam medicamentis. Quid enim fervido aere anguſtiſſimos

mos quoſque meatus corporis pervadente efficacius ad diſſolvendos ſtagnantes obſtruenteſque humores, atque evacuandos per vias perſpicuas, aut inviſibiles? Concepta ratio neque me fefellit, neque ſpes ægrotum gliſcente in dies profectu ad ſalutem, quem etiam deinde potio urinæ pueri promovit.

Plurimorum ſententia eſt in morbis contumacibus & diuturnis plura eſſe molienda, pluſque fidendum operæ medicaminum, quam naturæ: quam adprobandam exiſtimo facta comparatione diuturnorum affectionum cum acutis, loquendo de febribus, in quibus curandis primas partes ſibi vindicat natura, medicus utilior eſt, qui minus operoſus, prælucente exemplo Hippocratis *lib. 1. & 3. Epidem.* plures acutas, ardentes vehementeſque febres exponentis; in quibus uſus eſt parſimonia tanta remediorum, ut uni tantum ſcalpellum admotum ſit, tribus clyſteres, balanum quinque. Ceterum etiam in morbis longis, in quibus amplior patet locus remediis, magna hæc circumſpectione uſurpanda ſunt, numquam dejiciendo oculos a viribus, tolerantia, & actione naturæ, quæ niſi reſpondeat exhibitis, divina ope, ut ait Aretæus, indiget, non humana. Non inficias eo difficulter ſæpe cognoſci, quomodo natura adminiſtrata recipiat, requiriturque prudentia Medici exercitati diligenter invicem comparantis, atque ad ſuas cauſſas referentis quæcumque apparent. Id tamen generatim ſtatuo, raro occurrere morbos, in quibus conducibilior ſit abundantia remediorum parſimonia, maximeque eorum, quæ vel evacuando, vel alia qualitate ventriculo incommodent, reliquas partes in conſenſum perducenti. Quam copioſa ſupellex remediorum proponitur exem. gr. in forti obſtructione hepatis, vel

X 2 lie-

Digitized by Google

lienis, attenuantium, incidentium, aperientium, quæ, ſi proxime pervenirent ad partem affectam, reliquas intactas præterirent, idemtidem repetita fortaſſis vota adminiſtratoris explerent; ſæpe tamen non explent, ceduntque in irritum, & in ſolam moleſtiam accipientis, nec raro etiam in acceleratam perniciem. Igitur in hujuſmodi morbis in id principaliter incumbo amotis dextere, quoad poſſum, impedimentis, ut foveam vigorem ſanguinis & ſpirituum, qui ſolus penetrando occluſos meatus poteſt diſſolvere & diſſipare obſtruentia. Quid enim aliud eſt natura principalis morborum medicatrix, vel neceſſaria adjutrix, niſi robur ſanguinis, & ſpirituum, cum quo ipſæ partes ſolidæ conſentiunt? quod medicamentis enervando in ipſum ſalutis opificem pugnamus. Et hercle non ita mei amans ſum, ut diuturnarum, & pertinacium ægrotationum curationem, quæ mihi proſpera contigit, meis remediis primario tribuam, hiſque magis confidam quam auxilio naturæ, & opportunitati occaſionis; quæ præſidia ſortitus ſum in deſcripto hydrope curando.

Interdum in hydropicis vehementer tumentia crura dehiſcunt, effunduntque non inutiliter aquam, & imminuunt ſcaturiginem. Ancilla uxoris D. Ducros, de qua narrat Riverius *Centur. 2. Obſervat. 65.* Aſcite laborans poſt quædam apozemata accepta utens ſuffumigiis ad diſſolvendum crurum tumorem in utraque tibia contraxit uſtionem, deinde ad ulcerationem deductam; e qua affluenter aqua emanans non parum contulit ad ſalutem. Eodem tamen eventu in Hieronymo Corona ſupra deſcripto non ſcatuit ingens aquæ quantitas ex cruribus ſponte ulceratis: quam, licet pluribus diebus morbi intermiſſio conſecuta ſit, conſecuta non eſt ablatio fomi-

mitis letalis in viſceribus, & ſanguine latentis, nec emendabilis per ſolam aquæ genitæ vacuationem. In noſtro quoque hydropico leviter eroſa cute in tumidiore crure aqua extillavit, ſed ea paucis diebus conſolidata ſubſtitit effluxus; quod mihi non diſplicuit, qui non ſemel vidi, aliique viderunt, hanc aquæ vacuationem per adapertas tumentes partes etiam in morituris fieri: nempe quæ non robore naturæ expellitur, ſed effluit pondere & humiditate aquæ laxatis fibris ex deficiente natura debita conſtrictione carentibus. Ceterum licet aliquando aquæ ſpontaneus exitus ex relaxatis aliqua occaſione cruribus poſſit aliquid ad ſalutem conferre ante viſcerum labefactationem & ſanguinis, ea tamen præ ceteris optanda eſt excretio in Aſcite, quæ fit per vias indicatas ab Hippocrate in Coacis: *Si aqua ad veſicam, aut ventrem fluat, ſolutio*: per quas ſcilicet partes egrediens regimen naturæ adhuc robuſtum eſſe denuntiat. Alvus multis diebus abunde laxa fuit in hoc ſalutari hydrope, cui ſuccedens urina potu copioſior Hippocratis præſagium confirmavit, & ſpem, quam inde conceperam.

OBSERVATIO NONA.

Lapis veſicæ in Puero.

Filius periluſtris D. Antonii Sberti annorum undecim temperamenti ſanguinei, & melancholici anno tertio ætatis ſuæ incœpit pati urinæ difficultatem, cujus curationem dumtaxat poſt tres annos conſultus inviſi. Dolor inter mingendum ſimilis patienti Dyſuriam, qui ſub fine minctionis augebatur. Sæpe dolor glandem cum pru-

Digitized by Google

pruritu affligens cogebat ei manus afferre, & contrectare. Conatui mingendi adjungebatur deſidendi cupiditas cum ani frequenti prolapſu. Urina erat interdum alba turbataque cum craſſo ſedimento, noctuque reſupinato corpore copioſior. Hinc vehementer dubitavi de calculo veſicæ, contra quam plures ſentiebant inde ſuaſi, quod interdum duos vel tres menſes expedite mingebat, quaſi nihil obſtaret in veſica, bono corporis habitu erat, vivido florentique colore. Ea tamen longiora quietis, aut remiſſionis intervalla cum ſpecie corporis non mutata ſolum habuit ab initio ægritudinis ad annum uſque octavum: poſtea frequentius graviuſque infeſtante laborioſa minctione vis morbida prodita eſt aliquanto pallore faciei, atque attenuatione. Urina, quæ antea non ſemper turbata erat, nec alba, & cum mucoſo ſedimento, raro ſine hiſce notis excernebatur; immo interdum cum aliquo ſanguinis veſtigio. Octavo anno, quo ægrotavit, ideſt anno 1736. tribus menſibus ante mortem, multum comedebat, tamque ingenti ſiti premebatur, ut ſex vel ſeptem libras vini more Patavino aquoſi biberet, ſolam aquam recuſans. Inde cœpit febricitare, frequentibus acutiſque doloribus inter mingendum vexari, toto corpore admodum extenuari cum cordis palpitatione. Diebus 7. ante mortem bis ſaniem cruentam valde fœtidam minxit, eodem ſpatio urina ad mortem uſque peſſime olebat.

Poſt mortem, me ſuaſore, diſſectum cadaver eſt, ut oculis pateret, quod contra multorum opinionem mente conceperam, qui veſicam calculo impeditam non fuiſſe arbitrabantur, quod numquam in urina viſa fuerit arena. Inventus igitur eſt lapis in veſica notabilis magnitudinis aliquantum aſper, cujus pars fundum verſus

ma-

Digitized by Google

major erat, & rotunda, altera prope urethram attenuata, & pene ad ejuſdem capacitatem elaborata. Extractus lapis hora dimidia noctis, poſituſque in menſa mane non parum decreverat, imminuta mole ab incluſo humore per menſam effuſo, poſt extractionem retinebat fœtorem in veſica contractum, neque dimiſit niſi poſt duos treſve dies ab extractione. Explorata veſica traductoque gladio ad renes, ulcerati inventi ſunt, & ſanie referti, quæ ante mortem ad veſicam delapſa urinæ & lapidi fœtorem communicaverat. Aderat tamen aliqua eroſio in veſica nigricante, qua parte a lapide occupabatur.

Poſt tertium ætatis annum poſitum eſt rudimentum lapidis, qui antequam ad certam magnitudinem provectus eſt, neque corporis habitum oblæſit, neque valde moleſta ſymptomata frequenter peperit, qualia factum augmentum conſecuta ſunt, meritoque animadvertunt auctores, exiguum veſicæ calculum difficillime cognoſci. Numquam in toto excurſu morbi arena in urina apparuit; ſolum noviſſimo ante obitum anno apparuerunt quædam veluti grana ſalis albi propemodum magnitudine milii, pauca tamen & infrequentia. Quamquam autem non videbam in urina ſubſidere arenam, calculi ſuſpicionem non deponebam, conſpiciens in fundo vitri mucoſum, argilloſumque ſedimentum, quod Zechius in Comm. Hippoc. *Aphor.* 79. *ſect.* 4. credit eſſe indicium pathognomonicum lapidis majoris in veſica. Eamdem ſententiam interpretans Martianus affirmat, mucum eſſe quidem argumentum calculi in veſica, dummodo ei ſit immiſta arena. Hoc tamen in puero mucoſa ſubſidentia carebat arena, non carebat veſica lapide, aperta probatio ſubſidenti muco neceſſario arenam non conjungi;

neque

neque hanc conjunctionem lapidis inſeparabile ſignum conſtitui poſſe. Quin immo doctiſſimus Fernelius *lib. 6. cap. 3.* enumerans indicia calculi veſicæ nullam prorſus facit mentionem de arenæ minctione; idemque animadvertit, ſymptomata comitantia veſicæ calculum modo mitiora eſſe, modo ſæviora, qualia in hoc puero contigerunt. Ex hac porro obſervatione vocatur in dubium, quod idem auctor affirmat, calculum veſicæ ſemper habere rudimentum in renibus, nec aliquem vidiſſe calculo veſicæ impeditum, quin fuerit obnoxius doloribus nephriticis. Enimvero quod ille id numquam viderit, non arguit aliter evenire non poſſe, atque aliter eveniſſe narrata, niſi fallor, oſtendunt. Pluribus annis laborans prædictus puer lapide veſicæ numquam dolore nephritico vexatus eſt, nec ullam protulit notam calculi renum. Magnus hercle eſt conſenſus renes inter & veſicam, partes eodem humore perfuſas, & fortaſſis renes ſemper præparant materiam calculi, quæ tamen in renibus non ſemper in eum denſatur, ſed poſtquam lapſa eſt ad veſicam. Inventi quidem ſunt renes ulcerati in expoſito cadavere, & ſanie referti; quos tamen ita affectos fuiſſe reor, quum incœpit febricitare, atque pati ingentem illam ſitim febri prægreſſam, ſcilicet, ut opinari par eſt, excitatam a renibus cœptis incaleſcere & erodi ab humore vitioſo ſolito ad eos labi, vel ibidem vitiari: atque hac pariter conſideratione arbitratus ſum, materiam calculi veſicæ forſitan ſemper in renibus præparari. Curationem, antequam clariora indicia lapidis apparerent, inſtitui levibus dejicientibus, & ad alvum traducerem, quæ ferebantur ad veſicam, præterea mollientibus qualitatem infeſtam urinæ viaſque laxantibus. Enimvero quum eodem tempore Venetiis oppido cele-

celebraretur uſus Mercurii crudi ad difficiles longoſque morbos expugnandos, craſſos viſcoſoſque ſuccos exturbandos præſtiti ejuſdem pluribus vicibus unciam dimidiam, facto aliquot dierum intervallo. Primis tribus, quatuorve vicibus viſum eſt imminuere difficultatem mictionis; quo deinde non conſpecto levamine deſtiti porrigere, nihil a remediis ſperandum ratus.

OBSERVATIO DECIMA.

Stranguria in Sene 73. annorum cum cibi longa abſtinentia.

JOhannes Franciſcus Arſego Juriſconſultus, & Cancellarius Academiæ Patavinæ, vir ſpectatæ probitatis, temperamenti ſanguinei & melancholici, & Sarcocele impeditus, incœpit menſe Februarii anni 1737. gravi Stranguria laborare, quæ quidem per aliquot dies internis externiſque mitigata eſt, non tamen ſuperata. Interim poſt tres quatuorve dies appetentia cibi dejecta adeo eſt, ut poſtea quatuordecim diebus parum admodum alimenti acceperit. Verum eo crevit dejectio, ut nullum cibum cujuſcumque conditionis, & quomodocumque præparatum novem dies ſumere potuerit, & ſolum primis quatuor modicum aquæ totius citri, reliquis nihil prorſus. Exſtant quidem hiſtoriæ longioris abſtinentiæ cibi pluribus etiam triginta diebus, ſed quam narravi judico raram, & valde obſervabilem propter conjuncta accidentia. Refert Petrus Foreſtus *lib.* 18. *de ſtom. affect. Obſervat.* 8. Religioſam quamdam apud Divam Barbaram Delphis

Digitized by Google

annorum 65. anno 1562. morbo correptam, cui fluxus ventris perpetuo aderat, inſtar ſaponis nigra dejicientem cum copioſa excretione urinæ nigræ praſſinæ, corpore ſquallido & exſiccato poſt ſex ſeptimanas exhauſtam mortuam eſſe, quibus nihil biberat, nihil edulii acceperat, præter grana quædam malorum granatorum in ore detinendo, ſuccique modicum ſugendo. Rarum valde eſt poſſe vitam tot diebus ſervari abſque cibo potuque, ſed id rarius fuiſſet, ſi obtigiſſet viro: quandoquidem feminis ſolent admirabiliora, extraque ordinem accidere. Breviore dierum numero noſter ægrotus abſtinuit cibo potuque, ſed abſtinentiam notatu dignam, nec ſilentio prætereundam non una ratione judicavi. Primum ſupervenit averſatio cibi capiendi pluribus diebus tenuiter paſto, frequenti conatu, & dolore mingendi afflicto. Siquidem unico die proxime ante mortem excepto, reliquis octo noctu diuque frequenter ſurrexit ad mingendum decubitu vetante minctionem. Stans igitur, & a famulis adjutus accedebat ad vicinum armarium, eidemque brachiis innixus nervos omnes intendebat ad emittendam urinam, quam in lecto non poterat. Adde, hiſce ipſis novem diebus alvum laxam ex intervallis fuiſſe, & ſemel purum ſanguinem minxiſſe, pluries urinam cruentam, tamen habitum corporis fere priſtinum permanſiſſe, ſolum tumorem durum ſcroti adeo ingentem, ut propemodum totus penis occultaretur, abſumtum fuiſſe, ut opinor, attenuata materia tumoris ab irritamento, a quo urina cruenta reddebatur. Quid, quæſo, vires & vitam tot diebus abſque cibo ſuſtinuit, dolore, alvi laxitate, minctione ſanguinis vires atterentibus, quo tempore jam erant imminutæ a cibi parſimo-

Digitized by Google

monia? Fulcimentum fuiſſe exiſtimo viſcoſos denſos lentoſque humores impedientes conſuetam inſenſibilium excretionem per cutis inviſibiles meatus; quorum lentorem & craſſitiem indicavit vomitio, quæ ante cibi abſtinentiam interdum contigit ſimilis materiæ, indicarunt alvi excrementa pariter viſcoſa & lenta, præterea inſuperabile faſtidium ciborum ſimili materia os ventriculi appetitionis officinam occupante. Teſtimonio oculorum narrarem, quæ fuerint in cauſſa genuina morbi, ſi optata cadaveris inciſio mihi permiſſa fuiſſet. His addo aliam abſtinentiam cibi octo diebus in puero quadrimo. Quam ſit parata ad diſſipationem puerorum ſubſtantia luculenter docuit Hippocrates *Aphor.* 13. *ſect.* 3. animadvertens, pueritiam præ ceteris ætatibus difficillime ferre jejunium: cum quo faciens Galenus paſſim *in lib. meth. med.* ait, ſubſtantiam puerorum facillime digeri, & diſſipari; eoque minus vacuantibus præſidiis indigere habentem ex ſe ipſa, unde naturaliter vacuetur. Quare narratis aliam obſervationem de puero febricitante adjiciendam cenſui, qui octo diebus nullum cibum ingeſſit, nulla inde contracta noxa. Filius quadrimus D. Jacobi Montini Aromatarii Patavini ſub initio Aprilis anni 1716. incœpit laborare febri continua, quæ primis diebus acuta videbatur, poſtea mitior reddita eſt. Dies propemodum 40. perſeverans tandem abſque ullo artis præſidio extincta eſt. Primis octo diebus, quibus febris intenſior fuit, nihil prorſus cibi ſumſit, aliquantum tantummodo vini albi per ſaccum trajecti ad dulcedinem comparandam, vulgo *a fileto*. Ergo febricitans puer octo dies ſine cibo tranſegit, qui ſanus unico die cibi vacuitatem non tuliſſet: quam tolerantiam attribuo

 lan-

Digitized by Google

languenti fermento ſtomachi, & redundantiæ crudorum ſuccorum in prima regione, veniſque impedienti uberem celeremque vaporationem, cibi largioris indigentiam pueris afferentem. Confirmavit hic eventus quod ante perſuaſum habebam, pueros natura voraces in morbis cibum recuſantes, non eſſe ſollicite ad capiendum inſtigandos, ſed in amplexibus naturæ nondum corruptione morum vitiatæ relinquendos.

OBSERVATIO UNDECIMA.

Tumor ventris cum falſis indiciis Graviditatis.

NObilis Catharina Cipelli Laudenſis ann. 23. temperamenti ſanguinei, & non nihil pituitoſi, proceri corporis, molliſque habitus anno 1692. novem menſes retentionem menſtruorum paſſa eſt, quo tempore intumuit venter, ſenſitque quemdam in utero motum: unde orta eſt opinio conceptus. Nono menſe, quo partus expectabatur, ad mediam noctem ingens ſanguinis copia grumis permiſta effluxit. Sub aurora vocatus vidi effuſum ſanguinem naturaliter coloratum, vires admodum fractas, metumque incutientes redituri animi defectus, qui ſemel antea evenerat. Aſſerebat Obſtetrix ſe feturam perſentire, ſed ſanguinis effluvio urgente, nec ſatis fidens Obſtetrici præbui modicum confectionis hyacintinæ cum margaritis, & terra ſigillata. Paullatim imminutus eſt fluxus, vomuit biliosa, bis dejecit, venterque detumuit, ſuperſtite tamen infeſtiſſimo oris amarore, & ſtomachi anxietate. Veſpere omnia ſymptomata mitigata noctis quietem non perturbarunt, totoque proximo die mitiga-

rigatio perſeveravit. Quum tamen ſurrexiſſet ad dejiciendum, ſenſit quiddam ad muliebria quaſi exiturum decumbere; idque in lectum reverſæ ſurſum ferri viſum eſt. Tertio ab effluxu ſanguinis die media nocte vehemens febris accenſa eſt, cum acutiſſimo capitis dolore, intenſa ſiti, cordis, ventriculique anxietate. Accerſitus igitur meo juſſu eſt peritior, uti credebatur, Obſtetrix ad explorandum, utrum aliquid in utero clauderetur, factoque examine aſſeruit, fetum mortuum, & imperfectum adeſſe. Interea febris multum remiſit, remiſſionemque brevis, ſed placidus ſomnus nocte comitatus eſt. Mane, licet febris valde inclinata foret, tamen querebatur de ingenti oris amarore, quumque tres dies alvus reſtricta fuiſſet, neque clyſteres ob dolorem hæmorrhoidum admitteret, porrecta uncia electuarii diachotolici tres dejectiones mediocris quantitatis attulit. Veſpere magna virium imbecillitas, dolor ſtomachi, reſpiratio interdum laborioſa. Sumſit bolum ex ſpeciebus frigidis diamargaridon, & ſubinde aquam totius citri, quæ mane proximo repetita dolorem ſtomachi majori ex parte ſedarunt; itemque hoc tempore ceſſavit ſenſus ponderis in pudendum labentis, & motus in ventre geſtationem quadantenus æmulantis, qui in hunc uſque diem poſt tam prolixam ſanguinis effuſionem perſeveraverat, permanente pariter aliqua uteri excretione. Prodibant ſubnigra, alba, atque alius coloris graviter olentia. Porro ſubſecutæ ſunt tres febris acceſſiones cum frigore, & horrore invadentes, quarum primæ duæ ordinem quartanæ ſervarunt, tertia nullum. Principio frigoris horroriſque ingens circa pubem cruciatus excitabatur, calore adventante in totum deſinebat. In noviſſima

ag-

Digitized by Google

aggreſſione vehementius eadem loca dolorem affligentem abſtulerunt non rediturum interna externaque, ſotus ex decoctione florum chamæmeli, meliloti cum ſeminibus fœnugræci, & fœniculi, potio aquæ ſtillatitiæ florum chamæmeli cum grano laudani. Poſt duos dies ita laxata alvus eſt, ut hora 8. noctis large flueret, ceſſaret mane; ſexque dies iteratis hiſce vicibus fluxus alvi nocte incitati, mane ſedati, quicquid præter naturam erat, ſubmotum eſt.

Quamquam tria concurrerunt ad creandam opinionem conceptionis, ſuppreſſio menſium, tumor ventris, motus in eodem, mihi tamen in excurſu novem menſium non ſemel dixerat nobilis ægrota, ſe non ita affectam eſſe in hac graviditate, quemadmodum in ceteris; propterea ſatis certam non eſſe. Itaque poſt copioſum ſanguinem effuſum, nulloque certo fetus indicio prodito, mecum ipſe ſanxi retentionem menſtruorum tot menſibus, & cetera, quæ poſtremo evenerant, morbidæ cauſſæ, non conceptui adjudicanda eſſe; neque dubitavi, virium conſpecta periculoſa imbecillitate ob ſanguineum effluvium conſtringentia uſurpare. Enimvero oborta vehementi febre cum narratis ſymptomatis, & prægreſſo ſenſu decumbentis infra ponderis in erectione corporis, ut ſatisfacerem domeſticis, iterum uterus ab alia Obſtetrice exploratus eſt; cujus tamen opinio de fetu mortuo, & imperfecto me nihil permovit; & die proximo purgationem inſtitui educturus cauſſam tam moleſtæ amaritudinis oris, ventre nil ſponte emittente. Licet autem die purgationis ad veſperam male haberet, me peracti non pœnituit ductum ad actionem ex tam infeſto palati ſapore; nec poſtea pœnitentiæ locum reliquerunt conſecutæ dejectio-

Digitized by Google

ctiones morbi expultrices. Expulit præſtitum catharticum humores paratiores ad exitum, imparatos commovit, & inde forſitan orta eſt ejus diei moleſtia veſpertina. Deinde reſidui humores, dum a natura medicatrice parabantur ad exitum, calefacti attenuatique febres excitarunt, aliaque infeſta; quibus tamen præparatis detruſiſque ad communem corporis ſentinam, & alvum, quicquid erat morbidi, ceſſavit.

Non raro obtruduntur occaſiones dubitandi, utrum femina in utero conceperit, nec ne; ſed rarior eſt relata non una, nec infirma conjectura exhibita conceptus. Frequenter accidunt menſtruorum ſuppreſſiones ſine tumore ventris, ſine motu mentiente feturæ agitationem. Uterque in hac femina cum menſium defectu conjunctus eſt, & utriuſque cauſſa inveſtiganda. Lunaris purgatio ſtato tempore acta, atque ex inſtituto naturæ totius corporis rectam œconomiam, congruam ſanguinis quantitatem, & qualitatem, motum inteſtinum, ſive fermentationem, viarumque laxitatem teſtari ſolent. Contra ejuſdem perturbatio, imminutio, atque interceptio non ſine aliqua mutatione, aut in toto corpore, aut in utero, viiſque eveniunt. Porro animadvertens, quemadmodum natura hunc morbum ſubegerit, non abs re exiſtimem in vitium totius ſanguinis principalem cauſſam vertendam eſſe. Hoc, ut reor, craſſiore paullatim & viſcidiore reddito, vel alia qualitate imbuto, hebetiore ad ſtimulanda aperiendaque vaſa uteri, menſtrua defecerunt, enervato fermento, ut multis placet, hærente circa extremitates vaſorum uteri. Quamvis autem non exibat ſolitis circuitibus ſanguis, tamen ſingulis menſibus aliquam majorem copiam ad vaſa uteri traductam fuiſſe, ibique &

vici-

Digitized by Google

vicinis vaſis acervatam arguunt tumor ventris; ejuſdemque cita imminutio poſt primam uberemque ſanguineam effuſionem: unde quicquid dicerent Obſtetrices, permanſi in ſententia, ſpeciem quamdam prægnationis apparuiſſe, veram nullam fuiſſe. Ceterum, quia perturbata menſtruorum ſecretione, ex mutua omnium partium conſpiratione aliæ quoque ſecretiones imperfectius fiunt, par eſt credere alios etiam humores per ſolitas vias non amandatos concurriſſe ad ventrem inflandum una cum flatu, qui jactatus in cavitatibus ſuſpicionem quamdam feturæ conflavit, carentem tamen notis in aliis conceptibus conſuetis. Porro flatus manifeſta indicia prodierunt ex doloribus in imo ventre cum diſtenſione calidis externis interniſque ſedatis. Congeſtionem quoque humorum in prima regione fuiſſe oſtendunt febres cum frigore & horrore aggreſſæ, ſolitæque ex ejus loci inquinamentis oriri; præterea dejectiones copioſæ ſalutariter factæ. Interdum venter intumuit, eademque facies graviditatis viſa eſt, diſcuſſaque abſque conſecuto ſanguinis effluvio prolixo; quale noſtræ ægrotæ accidit: quod probat ventrem tumefieri ita poſſe, ut ſuſpicionem ingerat prægnationis ſine prægreſſo ſanguinis acervo in vaſis uteri. Celebrem Medicum Gradi apello, qui hæc narrat de propria uxore: omnibus hæc filiis orbata tribus continuis menſibus triſtitiam paſſa eſt tantam, ut mentis imbecillitatem, & quaſi amentiam contraxerit. Tandem reſtrictis menſibus paullatim venter intumuit cum æquali quaſi pondere ventris & dorſi, ceteriſque accidentibus, quibus olim prægnans afficiebatur, uno excepto, quod ſingulis menſibus menſtrua ordinate quidem, ſed admodum parce ſtillabant, in aliis prægnatio-

nibus

Digitized by Google

nibus omnino ſuppreſſa. Enimvero quum extra conceptum copioſe purgari conſueviſſet, valde reſtricta purgatio non abſtulit graviditatis opinionem, hanc tumore ventris fovente ſeptimo, octavo, & maxime nono in quo ita manifeſtus in ventre motus erat, ut tactu pariterque viſu deprehenderetur, & Maritus Medicus nihil de fallacia dubitaret. Conducta igitur nutrix eſt, exceptaque domi pro futuro partu, qui permanentibus dictis indiciis abſque hæſitatione nono, decimo, & undecimo menſe expectatus eſt; quo elapſo firma ſpes partus incœpit minui, tota tamen exaruit ſolum poſt decimum quartum. Quid autem hæc notacula imaginariæ graviditatis tamdiu perſeverantia denuntiarunt? Solam congeſtionem humorum in ventre una cum flatibus, non fetum naturalem, non molam, nec aliud præter naturam in utero efformatum, & concluſum. Etenim Maritus poſt tot menſes omnino ſpe conceptus depoſita aggreſſus eſt curationem tumentis ventris pilulis aleophanginis, iiſque ſingulis hebdomadis intra menſem uſurpatis in totum venter detumuit, nec quicquam morbidi remanſit.

OBSERVATIO DUODECIMA.

Animadverſio de Lochiis poſt dies ſeptem a partu ſuppreſſis.

MUlier annor. circiter 34. uxor fabri lignarii carnoſa anno 1736. ſub fine Februarii puerum enixa, poſt ſeptem dies, quibus de more purgamenta fluxerunt, hiſce die octavo in totum ſuppreſſis incœpit pati capitis dolorem & gravitatem, meque eodem

 die

Digitized by Google

die conſuluit, quo alvus ſubſtiterat, antea ſatis commode laxa. Febre vacua puerum lactabat. Nihil præſcripſi præter unctionem ventris oleo lilior. alb. frictioneſque partium inferiorum. Proximo die quum capitis gravitas, dolorque augerentur, alvuſque reſtricta foret, præbui uncias 5. olei amigdal. dulcium, quod tantummodo poſt horas 24. alvum ſolvit. Poſt dejectionem aliquid cruenti ex utero manavit, & nihil prorſus ultra id tempus. Perſeveravit adhuc duos dies capitis dolor cum gravitate, non tamen valde moleſtus & continuus: nec aliud incommodum deinde paſſa poſt diem 19. templum adivit.

Videbor multis conſuetudinis peritis ſatis meo muneri non feciſſe, audito integra retentione lochiorum cum ſuperventu doloris capitis non imperata venæ ſectione ex talo. Aperiam igitur cur uſui populari repugnaverim; meamque ſequens conjecturam talo pepercerim. Lactabat infantem, non abundabat cibis boni ſucci ad reparandum deperditum, præceſſerat vita exercitata, multum alimenti in corporis habitum digerebatur, non exigua quantitas puerperii diebus 7. emanaverat, iiſdemque abunde alvus fluxerat, nulla febris aderat, nulla pulſus immutatio. Cur igitur hiſce ante oculos poſitis extemplo ducendus ſanguis erat, nulla interponenda mora ad expectandam clariorem occaſionem? Itaque arbitratus dolorem capitis & gravitatem potius ex lactatu noctis quietem interpellante, quam ex retentis uteri quiſquiliis produci, diſtuli inciſionem venæ tali, admonito tamen marito, ut ea perageretur, ſi dolor notabile cœpiſſet incrementum. Defuit iſtud, vena inciſa non fuit. Enimvero occurres: ſi caput dolebat, ſi grave erat, ſi lochia ſubſtite-

ſtiterant, cur e veſtigio non ſolviſti venam, ſed graviora exigebas? Medici prudentis munus eſt arcere futura adverſa, celeriterque conſulere præſentibus, niſi hæc potuit arcere. Annuo, & conſultius eſſe fateor aggreſſionem morbi & incrementum inhibere, quam aggredientem repellere, auctumque oppugnare, dummodo quæ apparent diligenter conſiderata ad ſuas cauſſas referantur, neque judicio vulgi æſtimentur. Perſæpe tamen rudi inertique conſideratione apparentium magna remedia citra occaſionem uſurpantur, illam, inquam, quæ valeat trahere aſſenſum medici in conferendis rationibus non leviter exercitati. Tamen apud multitudinem pro cautionibus habentur levi quacumque de cauſſa ad actionem parati, minus illi cauti, & periti, qui noxia, vel ſuperflua evitare ſatagentes ex perpenſis accidentibus non ſatis habent momenti ad agendum. Eſt philoſophorum tritum effatum, non eſſe multiplicanda entia ſine neceſſitate: quod ſi apud Medicos valeret, ſicuti oporteret, magna pars, hodiernæ praxeos tollenda foret, multoque rarius adhibenda remedia, quæ grandia Vetuſtas judicabat, qualis eſt inciſio venæ grandis. Parcerem Medicis miniſtratoribus ſuperfluorum, ſi tantum id peccarent, nullum damnum inferrent, quod difficulter vitatur in uſu frequenti grandium auxiliorum. Verum tamen quum in omnibus rebus humanis variis ex cauſſis magna ſit proclivitas ad errorem, & confuſionem, animo irato ferendum non eſt, idem fatum medicinam pati. Porro in dicta puerpera temere non eſſe prætermiſſam venæ punctionem, clarius innoteſcet ex tempore, quo lochia ex inſtituto naturæ fluunt; quod profecto in omnibus æquale non eſſe experientia docet. Hippocrates *lib.* 1.

Digitized by Google

de morbis mulierum, conſtituit ſpatium purgationis viginti dies, ſi mater enixa eſt maſculum, ſi feminam vigintiquinque: ſed eam ante id tempus citra periculum interdum deſinere obſervatum fuit, & Philippus Verheien *cap.* 24. *de puerperio* affirmat, aliquibus vix diebus octo ſanguinem poſt partum fluere; idque pariter non in deſcripta dumtaxat muliere vidi, ſed in aliis non paucis maxime pauperibus nullo remedio adhibito, nullo ſubſecuto morbo. Quamvis igitur illa foret rubicunda, & ſanguineæ temperaturæ, atque poſt ſeptimum diem incœpiſſet affici dolore capitis & gravitate, nolui ſaphenam vulnerare, ſed propinavi oleum amigdalarum dulcium aptum ad laxanda vaſa, alvumque ſubducendam ſine imminutione virium in paupere femina lactante, & retractione ſuccorum a mammis. Et hercle Lodovicus Mercatus accuratiſſimus Scriptor de morbis mulierum *lib.* 4. *cap.* 10. in ſuppreſſione ſanguinis poſt partum ſubito talum non cruentat, ſed obſervat, an ſanguis accurrat ad mammas, & mulier futura ſit nutrix, obſervatoque motu naturæ poſtea utitur remediis evocantibus retenta. Quare multo minus in puerpera poſt uterum ſeptem dies expurgatum, propter oborta dicta capitis accidentia ſaphena reſignanda erat. Quid plura? Qui ex levi quacunque cauſſa in ſuſpicionem veniunt de imminutis uteri purgaminibus, & ſtatim tali venam inſcindunt, quæſo animadvertant Hippocratem *lib.* 1. *de morb. mulierum*, mentionem facere de purgatione puerperarum ſuppreſſa reſtrictave, variaque remedia docere, tantummodo num. 6. proponere venæ ſectionem, nec iſtam tamquam unicum & præcipuum remedium, ſed vel iſtam, vel alvi ſolutionem. Si quæris, cur ſolutio ver-

ventris in reſtrictis, retentiſve lochiis alvi ſolutio poſſit æquare venæ ſectionem, exiſtimo rationem capiendam eſſe ex conſideratione humoris in puerperio manantis, quem Philippus Vereh. loco indicato probat, pro notabili parte eſſe fæculentam ſanguinis portionem, quæ tempore geſtationis acervata fuit in ſubſtantia uteri cum immani ejuſdem incremento per modum imperfectæ nutritionis: non diffitetur tamen, aliquam etiam partem ſanguinis illius quaſi neceſſario prodire, qui juxta legem Circuitionis ad uterum jugiter appellit, ſaltem eo tempore a partu, quo vaſa ſanguifera per lacerationem placentæ ſunt magis patefacta. Igitur poſt partum ſi nulla ex utero ſanguinis excretio fieret, vel parcior, quid ad eam partem ſanguinis prodeſſet educendam venæ ſectio in talo, prodeſſet, quæ vel in cavitate uteri ſtagnat, vel eſt ejuſdem ſubſtantiæ intruſa? Quum enim, quod excluſo fetu remanet in uteri cavitate, vel ſubſtantia, ſit præter naturam & moleſtum, partes irritat ad expulſionem, expelliturque: quam expulſionem factam a partibus aliqua ratione ſtimulatis non video, quomodo venæ ſectio adjuvare valeat. Quemadmodum igitur nihil conferret ad educendum ſanguinem in ventriculo congeſtum ejuſve tunicis incluſum apertio venæ; item eodem modo ſe habet reſpectu materiæ uterinæ poſt partum eliminandæ. Neque ſane alia ſuppetit tutior ratio promovendæ excretionis dictæ materiæ, quam per medicamenta attenuantia & laxantia utero appoſita, vel impoſita, eodemque tempore quædam intus præſtita ejuſdem facultatis, quibus Hippocrates, aliique uſi fuerunt. Quid autem ad Hippocratem provoco, quem omnes commendant, perpauci ſequuntur?

Quid

Digitized by Google

Quid pugno contra conſuetudinem, quam ſicuti ſervare in proclivi eſt; ita ſervata, quicquid eveniat de ægroto, fama medentis in tuto eſt; in qua ſuſtinenda principalis induſtria plurimorum vertitur.

Altera lochiorum pars, uti placet Verheien, eſt portio ſanguinis in Circuitu ad uteri vaſa immiſſa effluenſque ab eis laceratis; quæ propterea non extruditur tamquam cauſſa morbida, ſed quaſi neceſſaria conſecutione ob vias exitus apertas; ideoque ejus effuſio fit primo a partu tempore, quo vaſa uteri per ſeparationem placentæ ſunt magis patefacta. Quapropter niſi copioſe emanet, non indicat quidpiam præter naturam in utero retentum, ſed non eſſe in ſanguinis circuitu, ut volunt, uberiorem illius partem ad uteri vaſa tranſmiſſam, vel iſta non ſatis patuiſſe. Cur igitur vena tali pertundetur, ſi primis a partu diebus parcior ſanguis effluat, qui non ſtagnat in utero, ſed proxime ſcatet ex vaſis, nil habens morbidi, neque nocere aptus, niſi facta agitatione in conatu partus impetum in aliquam partem faceret, vel aliquam noxiam plenitudinem circa uterum? quo reſpectu utilis eſſet venæ vulneratio.

OBSERVATIO DECIMATERTIA.

Abortus menſium quatuor, quo refellitur error Obſtetricum.

PErilluſtris Anna Bonenti annor. circiter 30. proceræ ſtaturæ, coloris ſubalbidi, mediocris corporis habitus die 10. Junii anni 1737. fetum perdidit menſium quatuor ex calculo genitricis, omnibus membris orna-

ornatum cum adnexo funiculo umbilicali, retenta in utero placenta. Horis circiter ſex copioſa lochia effluxerunt, poſtea paullatim imminutus eſt effluxus. Frequentes dolores lumbos ventremque exercebant cum pondere moleſto ad imum ventrem, cujus reſpectu juſſerat Obſtetrix, ut collecto ſpiritu impetum deorſum faceret; quod inhibui ob magnam ſanguinis effuſionem jam factam: neque deſperans de niſu ſponte venturo nihil validi præſcripſi ad eum promovendum, ſed dumtaxat panem tenui juſculo incoctum conditumque oleo amigdalarum dulcium: quo lenitis doloribus horis 4. quievit ſomno ex intervallis obrepente: poſt quas dolore reverſo inunctus eſt venter oleo lilior. alb., & chamæmeli, inditumque ſuppoſitorium: quo egerendi voluntate excitata, eodem conatu excluſa eſt placenta majoris ipſo fetu magnitudinis, uti ſolet eſſe in abortione. Subinde ſedato dolore, & moleſtia ponderis in imo ventre proxima nocte conſecutus placidus ſomnus præteritam moleſtiam compenſavit. Die undecimo bene ſe habuit, moderate fluentibus lochiis: decimoſecundo invaluerunt aliquantum dolores ventris, & purgamentum uteri permiſtum ſanguineis grumis & fruſto membranæ effluxit; & die quarto poſt abortum niger tenuis fœtiduſque ſanguis, renovato ſenſu ponderis in imo ventre. Iteratum eſt ferculum cum oleo amigdalarum dulcium, illinitio ventris, impoſitumque balanum ex ſævo hircino. Ab hiſce manavit major copia ſanguinis aquoſi, & paulo poſt informis laxaque caro rubra, cujus pars altera erat major ovo gallinaceo, altera in duas tenuiores partes diviſa.

Cauſſa abortionis fuit vectatio longa in itinere pie-

tatis

tatis cauſſa ad domum Lauretanam, reditumque in Patriam, ubi numquam commoda valetudine fruita eſt, donec abortus obvenerit. Frequentes ſunt abortiones, iſtamque non enarraſſem, niſi moles carnea poſtremo excreta occaſionem obtuliſſet expendendi quamdam vulgatam opinionem Obſtetricum Patavii & Venetiis. Conſpectam molem Obſtetrix conſtanter dixit, eam eſſe feminæ abortum, licet omnino informis eſſet, duplicemque in utero fetum fuiſſe maſculum, & feminam, ſed in femina poſt tertium menſem excluſa nullam formam feminæ, & humanæ figuræ conſpici, & tantummodo cognoſci abortum femineum poſt menſem quartum factum. Alias etiam Patavinas Obſtetrices de hoc interrogavi, idemque omnes confirmarunt: quin immo quum quodam die incidiſſet ſermo de abortu, & retuliſſem, quid ſentirent Obſtetrices Patavinæ coram Matrona Patricia Veneta miræ prudentiæ, & duobus clariſſimis Medicinæ Profeſſoribus, aſſeruit illa eamdem opinionem Venetiis pervagatam eſſe, animiſque Obſtetricum obfirmatam; quæ tamen neque meas ad aures ante dictam obſervationem pervenerat: neque, qui aderant, Profeſſorum, eamque mecum ambo exploſerunt. Quis autem dubitet, an ſit explodenda ex obſervatione divini Senis in lib. *de natura pueri*? Multæ mulieres, inquit, puerum maſculum jam perdiderunt paullo ante trigeſimum diem, & inarticulatus apparuit. Qui vero poſterius perditi ſunt, aut ſimul cum trigeſimo die omnes articulati apparuerunt. In femellis idem juxta rationem quadraginta duorum dierum habet. Nam ubi his abſolutis perditur, articulatio membrorum apparet. Sive autem prius, ſive poſterius perdatur, puer juxta hanc rationem apparet.

Digitized by Google

paret. Idem certe auctor paullo infra ait, tres menſes requiri, ut fetus, ſi maſculus eſt, in utero moveatur, ſi femina quatuor, idque plerumque uſuvenire; ex quo ſolum ignarum vulgus inferre poteſt, femellæ confirmationem poſt quatuor menſes conſpici: Motus de quo loquitur Hippocrates eſt manifeſtus, & a matre perceptus, ad quem obeundum requiritur major vigor membrorum dumtaxat eo tempore comparatus; ante quem tamen articulationem adeſſe, habitis obſervationibus Hippocrates, aliique teſtantur. Satis igitur manifeſtum eſt, eam concretionem carneam die quarto ab abortu emiſſam penituſque informem non fuiſſe perditam femellam, qualem Obſtetrix judicavit; ſed quiddam morbidum in utero genitum, vel partem aliquam placentæ ſimul cum reliquis non excluſam; quod certius affirmarem, ſi eam diligentius explorare ſuccurriſſet. Aſſeruit mihi Genitrix multo ante aborſum ſolere perſentire in fundo ventris pondus inſuetum in aliis prægnationibus, & abortionibus, quas paſſa erat, argumentum vel placentæ inſolitæ magnitudinis, vel morbidi alterius geniti. Niger ille fœtiduſque ſanguis die 4. egreſſus aliquid in utero excludendum contineri denuntiabat, uti conſtat ex pluribus eventibus. Id obſervavit Riverius *Centur.* 1. *ſuar. Obſervat.* 61. in clariſſima uxore Deſgardies, quæ cum magno ſanguinis profluvio, & ſecundinis excluſis, die ſequenti fetum, qui erat quatuor menſium, emiſit. Poſtea convaleſcere viſa eſt, & mediocriter purgabatur, effuſo purgamine peſſime olente. Die ſeptimo febre intenſa correpta, placentam, quæ jecur uterinum nominatur, admodum fœtentem excluſit. Idem contigit D. de Larache, eodem Auctore narrante,

Aa quæ

Digitized by Google

quæ quarto graviditatis menſe fetum cum membranis ejecit, & omnino liberata videbatur. Verum oborta febri cum horrore frequenti, & animi defectibus purgamenta fœtidiſſima cum thrombis, & carunculis excernebat, quibus die ſeptimo ſucceſſit ejectio integræ placentæ, & fœtidiſſimæ. Ex hiſce duabus hiſtoriis concludit Auctor, purgamina uteri fœtorem cadaveroſum effundentia ut plurimum ſignificare aliquam ſecundinarum portionem in utero remanſiſſe; quod confirmatur a me narrata obſervatione. Ceterum, quia citius, quod remanſerat in utero, expulſum eſt, minime putruit, neque febrem excitavit, neque inſtar cadaveris oluit, ut in relatis duabus mulieribus ob longiorem moram in uteri cavitate.

OBSERVATIO DECIMAQUARTA.

Admiranda validiorum purgantium tolerantia in morbo æqualiter raro.

SPectabilis D. Maria Goiier Antonini Patavina, forma moribuſque decora 45. annor. temperamenti ſanguinei anno vigeſimo ætatis ſuæ propter magnam, & rationabilem mæſtitiam incidit in febrem continuam cum frigore invadentem. Subſequebatur calor poſt aliquot horas declinans quidem, ſed numquam ceſſans in totum, ſemperque cum frigore incrementum redibat, eademque hora; calorque, dum vigebat, grandem capitis dolorem excitabat. Tempore frigoris cogebatur ægra decumbere, quo tranſacto calorem febrilem extra lectum ferebat, numquam omnino dolore capitis deſinente. Eodem tempore, quo febricitavit, incæpit pati ma-

Digitized by Google

magnam urinæ reſtrictionem, ſed multo majorem alvi; item intumuerunt facies, abdomen circa ſtomachum, femora, & genua. Mutatus eſt color faciei, rubicundus in terreum flavumque; & mutatio integrum annum permanſit; poſt quem imminuta eſt, colorque magis ad naturalem acceſſit: febris tamen ejuſdem conditionis decem circiter & octo annos perſeveravit aſſociata ſiti, alvi ſiccitati, & paucitati urinæ. Quare intumeſcentibus dictis partibus cum ingenti moleſtia etiam poſt extinctionem febris cogitur ſingulis hebdomadis uti ſex pilulis confectis ex duodecim granis diagridii, aloe, & caſſia, præterea tribus drachmis pulveris jalappæ, uncia una & dimidia ſalis anglici: quæ omnia interdum eadem hebdomada bis accipit; immo interdum veſpere ejuſdem diei ſumit ſex dictas pilulas, duas drachmas jalappæ, ſex magneſiæ, niſi mane ſumta neceſſariam excretionem pepererint. Poſtridie ejus diei, quo purgans accepit, & ſatis purgata eſt, deſinit in totum tumor, ſed proximo die incipit renovari, atque intra dies ſeptem pervenit ad priſtinam menſuram, quæ circa ſtomachum major eſt ſpithama, circa femora, & genua major octo digitis tranſverſis, & aliquanto major in genibus. Crura dureſcunt, ſed parum intumeſcunt, itemque pedes.

Quamvis tam frequenter ſumit tam fortia purgantia, ſi hæc optato effectu careant, creſcit ita moleſtia tumoris, ut cogatur confugere ad validiora, videlicet ad drachmas tres pilul. capitalium Paracelſi, duodecim grana trochiſcorum alhandal, totidemque mercurii dulcis. Doſis pilularum Paracelſi ex confeſſo eſt a granis viginti uſque ad triginta: quam quantitatem accepta ſuperat granis quinquaginta ſupra centum. Item ma-

Digitized by Google

major doſis trochiſcorum alhandal ab Auctoribus ſtatuta eſt a granis tribus ad grana ſex uſque. Mercurius etiam ſuarum partium mobilitate, & penetratione a calore viſcerum agitatus vim catharticorum non parum auget. Quis ex medentibus id genus purgantis marte ſuo porrexiſſet, auſus a conſtituta communi menſura tam longe recedere? Quis tanto receſſui aliquid ultra adjeciſſet? Attamen prodigioſa Patiens ſponte magnum fecit additamentum. Ante ſex annos, tempore hiberno, dum tumida erat per civitatem longo obito itinere, ſtatim incidit in narium hæmorrhagiam, febremque validam, quæ una cum hæmorrhagia modo minus, modo magis copioſa quindecim dies perſeveravit. Quis ignoret quantum viribus infenſa ſit febris, quantum ſanguinis effluvium? quibus tamen præſentibus ſumſit ſolita medicamenta bis in hebdomada, quibus optatam vacuationem non afferentibus, Medicus præſcripſit pilulas Paracelſi cum trochiſcis alhandal, & mercurio, quæ minime ventrem ſolverunt. Itaque Patiens eaſdem iterum ingeſſit additis tribus drachmis jalappæ, uncia una & dimidia ſalis anglici, utilemque inde excretionem experta idem catharticum in præſentem uſque diem repetit, quando purgans ſolitum ſumi ſingulis hebdomadis indigentiæ non reſpondet. Verum enim vero ita violentum expurgans interdiu parum agit, vimque ſuæ actionis differt in ſequentem noctem, in qua dejectionem, vomitionemque copioſam concitat; perſeveratque vomitio toto die, & proxima nocte. Vomitu primo rejicitur modicum cibi crudi, & medicaminis accepti; deinde aqua, demum materia viſcoſa. In dejectione primo excernitur ſtercus duriſſimum, poſtea multum aquæ flavæ, noviſſi-

viſſime albæ. Quo vero die id purgans ſumit, ingentem patitur ſtomachi afflictionem, dorſi roſionem, paremque capitis confuſionem, & virium jacturam, eodemque die nihil comedere poteſt præter duo cochlearia panis in aqua cocti, & butiro conditi, unam duaſve caudas cancri; & poſtridie vehementi febre corripitur cum ſenſu valde moleſto roſionis in dorſo, & intolerabili ſiti; nihilque eodem comedere poteſt, itemque proximo. Interdum accidit, quod mirum eſt, ut eodem menſe coacta fuerit uti quater tam forti tot purgantium miſtura. Id tamen rarum eſt, & ſolum anni unius ſpatio ter quaterve contigit. Oblata occaſione utendi purgante hebdomadario, ſi hujus uſum uno, vel duobus diebus differat; hiſce nihil comedit, haurit, ſolam potionem Caphè. Antequam vero inciperet uſurpare deſcripta purgantia, ſumſit uncias ſex mannæ, totidemque ſirupi roſati ſolutivi, drachmam unam pulveris jalappæ, duas tartari ſolutilis, quibus fere nihil evacuatum eſt.

Juſculum carnium nocet Patienti, quæ perpetua ſiti affligitur, ſed aquam bibens poſtero die eam invictam, quaſi recens bibiſſet, in ſtomacho ſentit. Accenſam etiam ante febrem poſt ingentem mæſtitiam menſtrua inordinate fluebant, ſed inordinatio adeo crevit poſt illam, ut interdum tribus menſibus ſubſiſtant, interdum ſex, ſemperque inordinate, & pauca fluant: unde pars aliqua cauſſæ ſumenda eſt febris tot annos perſiſtentis. Verumtamen rarius, & admirabilius eſt, poſſe Virginem delicatam, altamque perpauco & debili cibo reſiſtere purgantibus qualitate, & quantitate violentis, quæ proculdubio nullus ex noſtris auſus eſſet porrigere homini ſilvatico, & duriſſimis cibis aſſueto. Huc adde ſu-

Digitized by Google

ſuſtineri tam validas crebraſque purgationes, licet duobus ab hinc annis ſanguis ſaltem ſexies interdum ex ſolo pede, interdum ex iſto, & brachio ſingulis annis educatur, ſaltem quantitate unciarum decem & octo. Quamobrem, licet ipſe non adfuerim Ægrotæ curationi, hanc ſilentio prætereundam non eſſe judicavi, addendo cauſſam meo captui probabiliorem apparentem, quam proxime refero ad duritiam pene invincibilem fibrarum ventriculi, & inteſtinorum. Verum hoc opus, hic labor eſt aſſignare, quid eam produxerit. Conſtat aperte totum expoſitum morbum initium duxiſſe ab ingenti triſtitia ob inopinatum eventum, quem malo fato, nulla ſua culpa ſubiverat ad totum vitæ curriculum pertinentem. Ceterum quomodo hæc animi affectio potuit partes ſolidas adeo indurare? Sanctorius aſſerit *Sect.* 7. de affectibus animi ob mærorem ſolum tenuem materiam perſpirare, craſſiorem retineri, quæ animadverſione Martini Liſter, injecta in minimas glandulas, & ſimilia vaſa, harum partium duritiem parit. Verumtamen ex impedita perſpiratione craſſioris excernendi promtius colligitur cauſſa febris ſecutæ mæſtitiam, quam fibrarum duritiæ; immo illud impedimentum principalis, & frequentior fomes febris eſt. Ceterum quoties ingens mæror obruit animum, varioſque parit morbos, non fibras duras facit, quaſi inflexibiles ſtupidaſque. Illud igitur conjunctum fuit cum mærore, quod Hippocrates divinum & admirandum vocat humano captu ſuperius: aſſentiorque Hippocrati aſſerenti feminas pluribus ægrotationibus obnoxias eſſe, quæ comprehendi nequeunt, qualem fateor eſſe meo captui deſcriptam: neque pudet cum Tullio *lib.* 1. *Tuſcul. quæſt.* fateri, me neſcire, quod neſcio; cujuſque nulla probabilis ratio ob-

Digitized by Google

obverſatur, idque paſſim fatendum eſſe in rebus phyſicis certo certius eſt, ſi veritatem ſequimur, non fucos, nugaſque.

Præter admirabilem tot, tamque fortium purgantium tolerantiam non minus obſervabile eſt, ſeptem vel octo quoque diebus prædictas partes inflari, inflationemque poſt actionem congruam purgantis penitus evaneſcere celerrime redituram, ob eam certe cauſſam, quod parum humoris fertur ad vias urinæ, fere nihil ad ventrem ſemper reſtrictum, major copia ad ambitum corporis, ibique retinetur. Verum enim vero in tanta ſalutis concertatione fruitur in præſens faciei decoro colore, alacri ſenſu ad omnes actiones, æqualique patientia ſuperat adverſum fatum, & naturæ perturbationem. Quantum roboris ineſt viſceribus ad ſubigendum fortiſſimum catharticum, tantum ineſt animo ad patienter ferendos tam frequentes ictus recidivi morbi, utrumque memorandum. Facta de narratis animadverſione propoſui ſpectabili Patienti ad evitandam neceſſitatem toties repetendæ validiſſimæ purgationis, atque feſtinatum reditum tumoris, uſum emollientium internorum externorumque, ſed hactenus nil horum in uſum vocavit, ea conſtantia initæ viæ inſiſtens, qua ſuſtinet morbum.

Eryſipelas in faciei ad pectus letaliter extenſum.

DEſcripto raro morbo egregiæ Virginis addo alium graviſſimum letalemque ejus Sororis D. Saræ ann. circiter 51. temperamenti ſanguinei, uxoris perilluſtris D. Johannis Baptiſtæ Breſſani Patavini. Die 19. Menſis Decembris anni 1741. incœpit vexari faciei Eryſipelate

late extenſo ad collum, deinde ad pectus, quo occupato, ortaque anhelatione ſolum ſedens in lecto ſpiritum ducere poterat, nec ſatis libere, habebatque eum ſenſum, quaſi circa diaphragma conſtringentem faſciam haberet. Curabatur a duobus peritiſſimis Medicis, juſſu quorum diverſis temporibus quinquies, ſanguis detractus fuerat, aliaque remedia adminiſtrata, interque alia purgans ex granis 5. magiſterii jalappæ, & 2. ſcrupulis aloes, quo multa dura excrementa educta fuerunt, ſed vehementi viſcerum fervore inde excitato, ad hunc extinguendum lac aliquot diebus propinatum eſt.

Poſt dimidium Januarium hora 2. noctis urgente anhelatione advocatus ſum ad remittendas adauctas pectoris anguſtias. Sedens in lecto rubebat facie magis quam per ſanitatem, ægre ſpirabat cum anxitudine, difficilique exſcreatione irritantis materiæ; quæ omnia intra horam mitigata ſunt præſcripto linctu olei amigdalarum dulcium de more expreſſi permixti ſirupo de pomis. Poſt unum alterumve diem facto conventu Medicorum, mea ſententia fuit in proſequenda curatione abſtinendum eſſe a fortiore quolibet purgante ob affectos graviter pulmones, pectuſque a materia prægreſſi eryſipelatis, utendum frequentius clyſteribus, & oblata neceſſitate majoris purgationis drachma dimidia agarici trochiſcati, & ſcrupulo rhabarbari. Diebus aliquot poſt habitum collegium mane ægram conveniens reperi afflictam dolore ventriculi, ventriſque, cum nauſea, ingentique pectoris arctatione; cui præbui uncias 2. olei amigdal. dulcium, dubius de majori quantitate ob propenſionem ad vomitum; quæ retentæ pluribus horis tandem bis vomitum, pluries alvum moverunt cum manifeſta, ſed nimium brevi remiſſione ur-

urgentium ſymptomatum. Rejecta fuerunt liquida, & viridia; dejecta primo copioſa excrementa viridia, quæ Priſci bilem porraceam vocarunt, in globulos efformata inſtar piſorum, ſed aliquanto majora, deinde materia crocea non pauca quantitate. Mane proximo iterum omnes una fuimus ad conſulendum, id uno ex Collegis optante, qui mecum viderat tam largam variamque vacuationem. Senſit iſte non eſſe deſiſtendum a purgatione, adhuc remanere non modica excrementa cumulata ab ægrota paſſa incommodam valetudinem pluribus menſibus ante Eryſipelas, atque errata in victus ratione. Non obſtiti repetendæ purgationi, ſi nova neceſſitas repetendæ exhiberetur: qua exhibita, nil opportunius judicavi, quam iterare eamdem olei quantitatem; qua indigentiæ minime reſpondente, poſtea oleo præmittendum bolum ex ſcrupulo agarici, & dimidio rhabarbari. Eodem die inclinato in pomeridianum tempus cœperunt recrudeſcere ſymptomata, advocatique eodem tempore Collegæ decreverunt mane proximo propinandas eſſe tres circiter uncias olei præmiſſa dimidia drachma agarici, & uno ſcrupulo rhabarbari, idque exſecutioni mandarunt contra meam opinionem de præmittendo oleo ſine expurgante, obſervandoque effectu. An poterat, facto unius diei intervallo poſt tam prolixam vacuationem, ſperari a natura, paratam eſſe novam copiam expellendæ materiæ? Ita videntur ſperaſſe Collegæ. Ergo fere totum oleum evomuit, retinuit bolos, quibus ter excrementum liquidum coloris æruginoſi pauca quantitate dejectum eſt. Verum poſt breve tempus ab accepto pharmaco febris acuta accenſa eſt cum pulſu celeri & inæquali, vehementi calore, intenſa ſiti, linguæ ni-

 gre-

Digitized by Google

gredine; cujuſmodi febre antea correpta non fuerat, neque in reliquo vitæ ſpatio correptam vidi. Toto eo die perſeveravit in eadem intenſione, proximo remiſſa aliquantum eſt, tertio magis, poſtque quartum diem deſivit una cum nigredine linguæ, remanſit tantummodo febricula vetus, quam tamen dumtaxat manifeſte percipiebam in ſymptomatum intenſione, in remiſſione præſertim mane nullam certam notam, neque ex pulſu, neque ex calore habebam ſaltem pluribus diebus ante progreſſum ad extrema.

Admonitione febris excitatæ ab indicato purgante nullum in poſterum, quod ſciverim, præſtitum eſt, ſed pro data occaſione alvus commode laxata pluries fuit oleo amigdalarum dulcium, clyſteribuſve. Tamen perſeverante morbo olei faſtidioſa, neque ad leniendam tuſſim, neque ducendam alvum illud ſumſit, reſtrictamque clyſteres ſolvebant. Neque ſolius olei palatum impatiens evaſit, ſed ſirupi de pomis, de therebintina, *conſervæ* florum violarum cum ſpermate ceti, & ceterorum linctuum. Quare ut, quomodo poſſem, remitterem conſtrictionem pectoris, adjuvaremque exſcreationem, præbui gummi ammoniacum, & ſuccum liquiritiæ confectis bolis ſirupo de pomis, quibus magis laxabatur alvus, quam pectus; immo hiſce bolis ſumtis octo, decemve diebus, poſtea relictis copioſa dejiciebantur, abeunte alimento, & ſanguine in quiſquilias. Dejecta varia fuerunt, interdum omnino liquida, coloriſque nigricantis, ſæpius liquida permixta figuratis, ut plurimum flavi coloris. Urina plerumque ex flavo rubra aliquantum erat, craſſa non ſemper æqualiter, primis tamen octo diebus, a quo tempore curationem inivi, erat ſubnigra turbataque inſtar potio-

Digitized by Google

tionis Caſè, quam ipſa ægrota videns valde perterrefacta fuit. Sputa iiſdem diebus immo pluribus erant craſſa, viridia, aliqua alba, & puri ſimilia. Poſtea albidiora apparuerunt, aliqua etiam ſpumoſa, rarius aliqua puris æmula: quumque alvus laxior eſſe cœpit, & inferiora intumuerunt, eorum quantitas decrevit, imminuto humore, & ſicceſcentibus pulmonibus ad id magis paratis, quam putrefactionem, numquam conſpectis in ſputis vero pure, numquam permiſtione ſanguinis inter fortes, & propemodum continuos in vigilia conatus extuſſiendi.

Non unicum pœnarum genus ægram vexavit, non ſola difficultas ſpirationis, & tuſſiendo exſcreationis, ſed alia multa ex eadem ſcaturigine manantia, vigiliæ ſæpiſſime tota nocte infeſtæ, ſitis, afflictio frequens ſtomachi præcipue poſt cibum, & aliquando cum vomitu ejuſdem, & acidi ſucci, quo etiam per ſanitatem ſcatebat, aliquando palpitatio cordis, capitis gravitas, breviſque mentis perturbatio, vellicatio crurum & continua infeſtaque prurigo, deinde ad totum corpus extenſa. Huc adde ingentem copiam flatuum, quos infra ſupraque expellendo interdum tota nocte agitabatur; adde dolores ex intervallis recurrentes plurium partium in imo ventre, ſed ſæpius hepatis, & graviores longioreſque. Neque ſane mirum eſt, hæc omnia obveniſſe funditus perverſa animali œconomia ob impeditum ab inſuperabili cauſſa liberum aeris, unde vivimus, tranſitum. Itaque animum intendi in mitigandam moleſtiam ſymptomatum, perſuaſum habens, nihil aliud utiliter tentari poſſe; de quo principio Februarii Conſanguineos admonui, poſtquam vidi ab ingenti vacuatione facta duabus unciis olei amig-

Bb 2 dala-

Digitized by Google

dolorum dulcium tam fugax levamen impetratum fuiſſe, inde ducto argumento, morbi ſummam intra pectus concluſam eſſe, ab evacuatione impuritatum in morbo, vel ante genitarum nihil ſperandum eſſe pro tollenda pectoris labe, atque exhauriendo fonte malorum. Ergo ſymptomatum mulcendæ acerbitati hæc potiſſimum profuerunt, urgente flatu aqua florum chamæmeli, capitis gravitate, palpitatione cordis, afflictione ſtomachi aqua antiepileptica Langii temperata aqua de ſucco meliſſæ, urgente anguſtia pectoris cum ſiti aqua de ſucco malvæ permiſta pariter aquæ de ſucco meliſſæ. Vigiliis quandoque occurri pilulis de cynogloſſo, ſeminibuſve papaveris albi ſparſis aliquot guttis laudani liquidi efformatiſque in bolos ſirupo de ſucco papaveris albi. Id autem proſpere mihi contigit in hac curatione, ut quicquid præſcripſi aliquo adjumento fuerit, qui nihil ſperabam a remediis præter levationem angorum.

Poſt longam perpeſſionem difficilis anhelitus tuſſiſque, incœperunt, ut conſequens erat, intumeſcere crura circa malleolos, deinde provectus eſt tumor ad tota crura, femora, ventremque; auctaque difficultate ducendæ animæ extra lectum ſedere coacta fuit. Anxius ſubſidium petebat Maritus magis territus tumore ventris, quam morbo pectoris cauſſa tumoris, pro qua removenda pluries ei dixeram, nullum remedium ſupereſſe. Habita igitur eſt conſultatio cum celeberrimo atque experientiſſimo Profeſſore, qui mecum ſenſit de cauſſa conſtricti pectoris, & inde conſecuti hydropis, diſſenſus tamen eſt primo de ſpecie ejuſdem, qui dixit in Collegio eſſe Anaſarcam leviorem ſpeciem hydropis, poſt illud iterum explorato ventre mecum

con-

Digitized by Google

convenit, qui dixeram eſſe mixturam tympanitis, & aſcitis, & tympanitem in aſcitem deſinere. Hac occaſione gummi ammon. addidi millepedes paratos de more, ſubdidit Conſultus ſirupo de tribus balſamis bolos conficiendos eſſe, uti exſecutioni mandatum fuit. Interea cœperunt crura guttas emittere, quæ quaſi tot margaritæ videbantur, ut dixerunt Domeſtici, a quibus interrogatus, num hæc ſtillatio in bonis habenda foret, reſpondi, non eſſe, animo verſans per eam non poſſe morbi cauſſam educi, neque impediri proceſſum exitii, ſed indicari. Ita viſum non eſt cuidam Chirurgo clam accerſito, meque penitus inſcio, conſcio tamen uno præcipue ex ſociis curationis, qui ad augendum inchoatum effluxum aquæ pupugit utrumque femur, cruſque in ſex locis, quumque aquæ ſtillatio propemodum ceſſaſſet, poſt aliquot dies tribus in locis utraque membra iterum perforavit. Optabant Domeſtici, ut ego quoque particeps fierem meditati operis, uti mihi poſtea dictum fuit, quod recuſavit Profeſtor, cauſſatus, me iſthuc non eſſe permiſſurum; cui gratias ago, quod recte de me judicaverit. Detumuit igitur venter, aqua tamen largius effluente ex meatibus ſponte reſeratis, quam ferro, eodemque tempore magna copia flatuum per alvum laxiorem erupit: atque inde ſpem tantam ſalutis altam a Chirurgo concepit ægra, ut ſe ad Templum Divi Antonii ejus die feſto ituram eſſe crederet, quamvis cum aqua vires elabi ſentiret. O ſpem lugubrem, lachrimandamque! quæ jugulata ex brevi ſecuta deſperatione vitæ multo vehementiorem dolorem, animique perturbationem excitavit. Namque perſeverante laborioſo efflatu, mox cœptus renovari ventris tumor crevit in majorem

pri-

prima magnitudinem, & cum majori duritie, & omnia ſunt aſperata ſymptomata. Deus immortalis! Quantum erat in proclivi menti non occupatæ præſumta deſtinatione experimenti funebria conſecuta providere, attento longo, gravi, & manifeſto pulmonum affectu ex difficili ſpiratione, tuſſique, & prægreſſo eryſipelate? Quamobrem in ultimo facto conventu definite dictum fuerat, etiam tota educta aqua paullo poſt rediturum tumorem. Ex communi conſenſu Auctorum, uti notat Riverius *lib.* 1. *cap.* 7. de Hydrope, & res ipſa ſuadet, perforatio adhibenda eſt, antequam labem viſcera contraxerint, hac contracta relinquenda. Vide igitur, quantum fuerit extra omnem rationem projecta punctio in hydrope, qui ſucceſſit inſigni, & diuturnæ principalis viſceris noxæ aerem cum vita recipientis; in quo præterea viſcera imi ventris vexata fuerant, ſed maxime jecur non levem offenſam paſſum, uti conſtat ex relatis. Quænam igitur utilitas in mentem cadere poterat ex feriente dextera? Immo debebat cadere rationabile periculum urgendi excidii; cadere debebat in animum miſeratio deterrens ab inferendo fruſtra dolore iteratæ inciſionis tot inter moleſtias languenti. Nuntiabant enim ſtillantia ſponte crura ipſa voce popularis obſervationis in morbo ad tantam gravitatem perducto, atque inveterato fatalem exitum appropinquare. Hæc animadvertere e munere meo exiſtimavi, qui publico juſſu inſtruendæ juventuti, rectaque methodo imbuendæ adlaboro.

Quandoquidem Eryſipelati faciei ſucceſſit morbus thoracis a ſimili materia intus extraque occupati, & aliquantum initio tumefacti; ſi quæras, quid intus genitum fuerit fovens diuturnam affectionem cum tuſſi perpetua, & reſtrictione reſpirationis, quamquam non ſem-

ſemper æquali, expono, quod mihi probabilius videtur. Fabritius ab Aquapendente ad mentem Galeni *lib.* 14. *Meth. cap.* 3. differentiis Eryſipelatis adnumerat ſcirrhoſum, atque quiddam ſimile opinor productum fuiſſe in pulmonibus excalefactis præter naturam a materia intruſa viſcoſa, & difficile diſſipabili, indicata a ſputis plerumque viſcoſis, craſſiſque, & longitudine morbi, quam poſt primos 15. circiter dies cognito morbi motu providi, & proviſam non ſemel Marito ſignificavi. Calorem pulmonum teſtabatur rubor faciei naturali intenſior, numquam remiſſus tot inter moleſta accidentia, cauſaſque ſanguinem abſumentes, immo adauctus, quo pejus habuit, evanuitque dumtaxat in extremo efflatu, ut mihi dixit adſiſtens Sacerdos, nocte diei 12. Maii, quæ abſtulit mulierem non vulgaribus dotibus animi corporiſque exornatam, dignam hercle meliore fato, ævo longiore, atque humaniore exceſſu vitæ.

Ex narratis mentem ſubit advertere in eryſipelate faciei orto inter hiberna frigora parcius eſſe ducendum ſanguinem prudenti metu, ne copioſa eductione inhibeatur eruptio totius humoris cutem verſus commoti. Si obſtat eruptioni, uti palam eſt, frigidum appoſitum, cur idem impedimentum timendum non erit ex refrigeratione ſanguinis per emiſſionem prolixam enervantem bullitum motumque ejuſdem, quo materia pellitur ad exteriora. Non deſunt etiam Auctores, qui dictum eryſipelas abſque venæ punctione ſolaque purgatione expugnarunt, atque inter iſtos clari nominis Neotericus Johannes Freind, qui *Com.* 7. narrat, ſe Virginem admodum generoſa ſtirpe natam graviſſimo eryſipelate faciei extenſo ad aures, & collum ſolis purgantibus redemiſſe.

Finis Spicilegii Curationum Morborum.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
INCONSTANTIA MEDICINÆ.

CAPUT PRIMUM.

Narratur Inconſtantia Medicinæ.

Poſt ſcientias conditas mirum non eſt, pro varietate ingeniorum multas novas opiniones, easque varias etiamque repugnantes in illis diſciplinis fuiſſe excitatas, quæ tantum in ſpeculatione conſiſtunt, extra non feruntur, nec actionem attingunt. Enimvero non ſine admiratione, immo cum indignatione Plinius *lib.* 29. *cap.* 1. animadvertit, Medicinam humanæ ſalutis præſidem, eique univerſam conſervandæ, reparandæve deperditæ addictam tot diſcrepantibus opinionibus, & novitatibus in tumultum agi, jactarique, omniumque artium inconſtantiſſimam eſſe. Eodem vero fato perſeverante creſcit in præſens argumentum admirationis indignantis ex novis in dies prodeuntibus opinationibus, priſcarumque mutationibus: ex quarum multiplicitate, & varietate ſi diverſitas ſectarum deſumenda foret, definito numero vix omnes comprehendi poſſent. Turba igitur relicta principales celebrio-

Digitized by Google

reſque potiſſimum pertractabo, ut eas agitando, ſi quid animadverſione dignum occurret, & conducibile artis profectui interponam.

Medicinam ortam eſſe ab experientia & obſervatione populari docemur ab Herodoto *lib.* 1. narrante morem fuiſſe Babiloniis deferendi Ægrotos in publicas plateas, ut qui in eas convenirent, diligenter jacentes interrogarent de morbo, quo tenebantur, indicarentque, vel quid ipſi utiliter experti fuerint in ſimili morbo, vel ab aliis expertum acceperint: itemque docemur a Strabone *lib.* 3. eumdem morem apud Ægyptios extitiſſe, & inde ad Luſitanos manaſſe. Ergo donec populare dumtaxat documentum ab experientia petitum morbis curandis præfuit, Medicina nullis vicibus, nulli varietati, & repugnantiæ opinionum obnoxia fuit, ſemper eadem, adeoque conſtans, ut Ægyptiis pœna capitis indicta fuerit, ſi in curationibus morborum quidpiam auſi forent præter obſervata a Majoribus, & publicis libris conſignata. Unde igitur tot novitates & diſſidia in rem medicam irrepſerunt? Rationis acceſſio, quæ facta eſt a Philoſophis, quorum clariſſimos Celſus in Præfat. memorat fuiſſe Pythagoram, Empedoclem, & Democritum, tulit argumentum rerum novandarum, occaſionemque diſcrepantium ſectarum. Ante Philoſophos Medicina nihil aliud erat, niſi collectio experimentorum ſine ſtudio litterarum a populo facta, hoc eſt naturalis empirica, quæ ſolum ſubtiliore contemplatione naturæ, & a vulgo remota in artem, & diſciplinam rationalem evaſit in poſterum numeroſas mutationes habituram. Namque paullo poſt additam rationem Acron Agrigentinus, ſententia Plinii *lib.* 29. *cap.* 1., qui vixit Empedoclis tempore, Phi-

Philoſophis rationis Patronis bellum indixit, contenditque, Medicinam ſolis experimentis fulciendam eſſe abdicata ratione; qua contentione proluſit miræ hujus artis inconſtantiæ. Inde namque multi ejus partes ſecuti ſunt, multi contrarias, alii nova meditati ſunt, atque in præſentem uſque diem multi meditantur. Quoniam autem tradit Plinius Medicinam perdiu tenebris obrutam Hippocratem in lucem revocaſſe, & traduxiſſe ad inviſendos ægros in lecto jacentes, unde clinice græco nomine dicta eſt, videndum, quot vices poſt hunc auctorem ſubiverit. Porro in primis animadverto Medicinam ab inviſendis ægrotis nomen mutuatam ante Hippocratem extitiſſe, nec ab ipſo primum inventam fuiſſe, ob ipſo tamen primum illuſtriorem, perfectioremque poſteritati conſignatam. Quid enim aliud indicant, quæ ſcripſit pro tutela veteris Medicinæ contra ſentientes principium omnium morborum eſſe calidum & frigidum? Quid ſcripta contra Cnidias ſententias; quæque in Coacis prænotionibus complexus eſt, niſi ante ipſum clinicam medicinam fuiſſe, & ſæpius attenteque, quæ apparent in morborum excurſu, obſervata? Porro ſcribens adverſus Medicos Cnidios multa innovavit, perfecitque ad victus rationem pertinentia, eorum negligentiam hac in parte reprehendens, itemque parſimoniam remediorum in morbis longis; idemque Valleſius animadvertit *lib.* 1. *de rat. vict. auct.*. Hinc fortaſſis Chryſippus Cnidius occaſionem ſumſit contradicendi Hippocratis doctrinæ, quæ ſine adverſariis longum ævum tulerat, conatus duo præcipua remedia multo ante Hippocratem inventa, venæ ſectionem & purgationem de medio tollere, relictis tantummodo vomitoriis & clyſteribus. Plures

Digitized by Google

habuit diſcipulos Chryſippus, & inter iſtos clariſſimum Eraſiſtratum ad plures reges curandos, uti fertur, acerſitum, judicio Macrobii *Satur. lib. ultim. cap.* 15. omnibus veteribus Medicis prælatum. Enimvero ſicuti Chryſippus multa Priſcorum rejecit, item teſte Plinio multa etiam Præceptoris Eraſiſtratus permutavit, purgatione proprie dicta retenta, ſola venæ ſectione in totum exploſa. Non neglexit inquiſitionem cauſſarum morborum, eorumque principalem conſtituit plenitudinem univerſalem venarum, & particularem affectæ partis, uſus abſtinentia ad eas adimendas, vomitione, alvi ſolutione maxime per clyſteres.

Quemadmodum Chryſippus, & Eraſiſtratus vetuſta, & celebria remedia ab Hippocrate ſtabilita refutarunt; Herophilus pariter ipſum prognoſticum Hippocratis minus expoſitum contradicendi ſtudio refellere obnixus eſt; quem Plinius ait conditorem fuiſſe ſubtilioris ſectæ dogmatis Priorum condemnatis. Qualis autem fuit hæc ſecta? Nihil addidit ille, unde ejus ſectæ ſubtilitas novitaſque deprehendi queat præter pulſus doctrinam ab ipſo primo naviter expoſitam, eo per ætatum gradus in muſicos pedes deſcripto: ſed hæc ipſa ſubtilitas utpote laborioſa, & ſtudium litterarum requirens in cauſſa fuit, cur retrohaberetur.

Vidimus traductam Medicinam ab obſervatione vulgari ad Sapientiæ Profeſſores, & Philoſophos, & inter iſtos Hippocratem nulli ſui temporis imparem, cujus Plato, & Ariſtoteles varias ſententias amplexi ſunt, verſam eſſe in rationalem facultatem. Fuit hæc quidem ab indicatis Auctoribus aliqua ex parte impetita, & permutata, retenta tamen ratione, ſine qua neque ars conſtitui poſſe videbatur, nec recte exerceri. Hanc

vero

Digitized by Google

vero poſteriores Empirici Anteſignano Serapione Alexandrino, aut Philino Coo diſcipulo Herophili multis meditatis rationibus penitus amovere contenderunt, rejecta veſtigatione latentium cauſſarum morbidarum, acquiſitione medicaminum per indicationes ſumtas ex cognita morbi natura, inſpectione anatomica, progreſſione a claris ad obſcura; quibus poſthabitis ſummam medicationis fecerunt ſola, quæ ſenſum feriunt, & memoriæ conſignantur. Tamen hæc factio cœpta vigere initio Sæculi 38. longam ætatem inter claros aſſeclas honorifice duxit, de quibus memorant Diogenes Laertius, Celſus, Galenus, aliique: qui non tantum obſervabant quid in variis & diſſimilibus affectibus profuerat, ſed ſollerter in id incumbebant, ut ex accidentium concurſu internoſcerent morbos ſine errore experta in ſimilibus remedia adhiberi. Verumtamen prætermiſſa ſollertia dignoſcendorum morborum, totaque induſtria converſa ad comparandam copiam medicaminum nobilior Empirica deſcivit in quamdam plebejam Medicinæ ſpeciem cultam a pharmacopolis, & circulatoribus in præſens adhuc permanentem.

Quantum laboris impenderunt Empirici Dogmaticæ Scholæ e ſua dignitate deturbandæ abdicata cauſſarum indagine, ceteriſque indicatis, tantum in oppoſitum Aſclepiades ætate Pompeii magni impendit, qui auctore Plinio *lib. 26. cap.* 3. univerſam medicinam ſingula ad ſuas cauſſas revocando conjecturam fecit. Fuit nomen Aſclepiadis commune omnibus antiquis Medicis ita vocatis ab Æſculapio græce Aſclepio ob illius doctrinam, quam amplexi ſunt. Proprium tamen nomen fuit Aſclepiadis, quem memorat Plinius, aſſeritque firmæ antiquitatis reliquias evertiſſe omnino oppoſitum Ar-

cha-

Digitized by Google

chagato, qui Romam ex Peloponeſo profectus medicinam invexerat; magnam enim partem remediorum ſuſtulit aliorum uſu ſtabilitam, atque inter cetera vomitoria, & cathartica proprie dicta.

Poſt tot expoſitas mutationes a tot famigeratis Profeſſoribus factas an putas intercluſum aditum fuiſſe ingeniis ad novas diverſaſque inducendas? Immo multæ inductæ ſunt, auxeruntque hujus artis inſtabilitatem. Themiſon Laodiceæ, qui vixit circa finem Sæculi 39. ad dimidium uſque Sæculi 40. Aſclepiadis diſcipulus ab hujus placitis non parum recedens animum appulit ad inveniendam methodum brevi modicoque labore parabilem: contraxitque propterea omnes ægrotationes in duo principalia genera, & tertium miſtum principalibus. Alterum ex illis poſuit in reſtrictione meatuum inſenſibilium, alterum in dilatatione, tertium in utraque reſpectu diverſorum, ſicuti in Pleuritide, in qua tumor eſt argumentum reſtrictionis, excretio ſanguinis, vel pituitæ laxamenti. Habita horum trium generum conſideratione quicquid eſt præter naturam complectentium, judicio Themiſonis, ſufficit adinveniendis omnium morborum remediis abſque labore rimandi meditandique particulares eorum cauſſas & circumſtantias ab Aſclepiade ſedulo inquiſitas, & meditatas. Admiſit inſuper contra praxim Præceptoris in pluribus morbis purgationem, ſanguiniſque non uno modo detractionem, qui creditur primus auctor applicandarum hirudinum. Ab Themiſone initium traxit Methodicorum ſecta, quæ diu floruit decorata multis illuſtribus fautoribus, atque inter iſtos Theſſalo, qui vixit Neronis tempore, plurium ſententia ejuſdem diſciplinæ amplificator perfectorque; quibus

Digitized by Google

bus tamen minime ſubſcripſit Cælius Aurelianus, multoſque errores palam fecit ab eo commiſſos in methodum, quam profitebatur. Soranum igitur præfert Theſſalo & Principem Methodicorum renuntiat, ejuſque doctrinam magna ex parte Latinam reddidit, atque excoluit, abdicatis, quæ cognitu difficilia ſunt, & diſputationibus obnoxia, itemque inveſtigatione partis affectæ ratus, non eſſe immutandam curationem generalem, quæcumque ſit pars affecta, eique propinqua. Quod vero attinet ad praxim Theſſali, contra placitum Themiſonis purgatoria refutavit, confirmavitque rationes adverſus eadem a Chryſippo, Eraſiſtrato, & Aſclepiade productas, primuſque cibi abſtinentiam tribus diebus inſtituit; qua idem inſtitutum ſecuti omnium morborum curationes inchoarunt, unde Diatritarii appellati fuerunt.

Sub eodem regno Neronis præter Theſſalum claruit, ſed alia ratione, Crinas Maſſilienſis ſpreta brevitate a Themiſone, & Theſſalo propoſita, artem, ut loquar verbis Plinii, geminavit obſervando ex Ephemeride Mathematica ſiderum motus horaſque cibos porrecturus: quæ cæli obſervatio nulli magis profuit, quam ſuo auctori adepto famam, & auctoritatem tantam, ut Theſſalum utraque præceſſerit; adeo percellunt multitudinis mentem, quæ de cælo ſumuntur. Porro Theſſalo & Crina fata Romæ regentibus, eadem, qua Crinas Maſſilia, Charmis repente in ſcenam prodiit, ceteriſque Medicis reprehenſis, itemque calidis balneis tam efficaciter frigida perſuaſit, & tanta approbatione, ut etiam hibernis algoribus conſpecti fuerint viri Conſulares uſque in oſtentationem rigentes; ita mutati erant Romanorum mores, ita debilitata fractaque conſtantia,

quæ

quæ tota Italia expulſis Medicis ſexcentum annis, Marco Catone auctore, carere valuerat.

Tria genera ſectarum recenſita Dogmaticæ, Empiricæ, & Methodicæ multo plures ſpecies & differentias ſubjiciunt, ſi eas computare velimus ex diverſis diſcordibuſque opinionibus celebriorum Auctorum cujuſcunque generalis ſectæ: ex quibus nemo eſt, quin videat, quanta ſit hujus artis inconſtantia, eamque cum Plinio indignetur auctam præterea ex aliis factionibus. Mitto illam, quæ attribuitur Leonidæ Alexandrino conflatam ex coniunctione, & temperatione principiorum aliarum trium ſectarum, unde vocata fuit Epiſynthetica, ideſt Latine acervans, ſive ſuperimponens: item alteram mitto ex qualibet meliora decerpentem, iccirco electricis nomine donatam, cujus patronus Archigenes exiſtimatur. Plus habet novitatis altera, quæ vocatur pneumatica, ſeu ſpiritalis auctore Athenæo, uti creditur, Plinio contemporaneo pleraſque ægrotationes conjiciente in ſpiritum, hoc eſt ſubſtantiam tenuem accommodam dilatationi, & coarctationi præter naturam immutatam. Nihil tamen extat hujus Auctoris, quod ejus opinionem declaret, oſtendatque, quemadmodum ſuo placito uſus fuerit in medicatione. Cum Athenæo feciſſe Aretæum contendit Johannes Clericus *in 2. parte Hiſtor. medic. cap.* 3., admiraturque ante ſe id eſſe a nemine animadverſum, trahitque ſuæ ſententiæ potiſſimam probationem ex duplici ſpecie anginæ tradita ab Aretæo *cap.* 7., altera poſita in phlegmone inſtrumentorum, altera in prava converſione ſpiritus ad ſicciſſimum, & calidiſſimum abſque læſione inſtrumentorum; quorum integritas præcipua coniectura eſt Clerico adnumerandi Aretæum ſectæ ſpiritali.

Ex

Digitized by Google

Ex ſex Medicinæ ſectis, quas percurri, nulla, animadverſione Johannis Clerici, tempore Galeni obſoleverat: quo tamen Rationalis incœpit eminere fulta divino, ut ait Trallianus, ejus auctoris ingenio omnibus ſcientiis exornato ad eam illuſtrandam, ditandamque: quamvis ea felicitate non fuerit, ut nullam contentionum materiam reliquerit, artique conſtantiam comparaverit ablata diſſentientium opinionum varietate. Verum enim vero quantum debeat Galeno diſciplina dogmatica quis ex noſtris, vel ſolis attentis libris 14. de Methodo medendi, ignoret? Quis principatum non tribuat, & ſentiat cum Jacchino *de mor. part. cap.* 1. quod cecinit de Epicuro Lucretius: . . . . . *Omnes*

Reſtrinxit ſtellas exortus uti æthereus Sol.

Quantum eminet diſciplina rationalis ſupra reliquas, tantum eminet Galenus ſupra omnes ejuſdem Profeſſores. Ita tamen poſtremo viſum non eſt Hartmanno Boerhaave in origine, & progreſſu Medicinæ aſſerenti, Galenum plurimum quidem emolumenti attuliſſe bonæ arti, ſed non minus damni; quod auctor fuerit, ut ex elementis, qualitatibus cardinalibus, harum gradibus, & humoribus quatuor ſubtilius, quam verius explicaretur Medicina; quaſi vero a Medicis derelinquendi ſenſus forent, quibus nihil eſt manifeſtius, quam cardinales qualitates, quomodocumque explicentur, ſive Philoſophia Democriti, ſive Ariſtotelis: quaſi quatuor humores non admiſiſſet Hippocrates adeo commendatus a Boerhaave. Quicquid effutiant Recentiores, numquam gloria Galeno debita ex pleriſque ejus monumentis exareſcet. Defuit tamen Galeno, aliiſque Græcis uſus Chymiæ medicinalis ab Arabibus, uti creditur, invectus: qui non ſolum hac adiectione de re noſtra bene meriti ſunt, ſed

Digitized by Google

aliorum medicaminum, præterea quorumdam morborum notitia Græcos latentium, atque inter iſtos Variolarum, quas Avicenna Arabum Medicorum princeps accurate deſcripſit. Quæ tamen ſpectant ad ſpeculatricem Medicinam, & fundamenta praxeos ab ipſo Hippocrate, & Galeno exſcripſit, facta tantummodo mutatione in aliquorum auxiliorum uſurpatione; ſicuti in curatione Pleuritidis, in qua Avicenna ſanguinem detrahit ex brachio oppoſito lateri affecto, contra quam Galenus, qui morem gerens Hippocrati jubenti detractionem ſanguinis e vaſe propinquiore loco doloris, venam brachii lateris affecti incidit.

Initia Chymiæ ad paranda remedia ab Avicenna, & Meſue poſita magnum deinde incrementum, & commendationem adepta, occaſione fuerunt Philippo Paracelſo multa fere in quacumque parte medicinæ innovandi non congruenter ad Phyſicam Democriti, vel Ariſtotelis, ſed ad ignis aſpectum corpora diſſolventis. Itaque pro principiis corporis humani hæc tria conſtituit, ſal, ſulphur, & mercurium; atque ex hiſce tribus cauſſas morborum deſumit, præterea ex tartaro, ſive quadam dura materia & acerba ſimili denſatæ vini fæci, retropoſitis qualitatibus primis elementorum, & humoribus. Deſpicit conſiderationem temperamentorum, & remedia ab Chymia non elaborata, & tantum elaborata habet in pretio uſque; deſpicit regimen victus in curandis ulceribus etiam deploratis, gloriaturque, ſe inter pocula & ſatietatem ciborum ſuos ægrotos curare. Ceterum tot in Medicina perverſis & commutatis intacta reliquit duo magna vetuſta remedia, venæ ſectionem, & purgationem, quæ poſtea tamquam pernicialia Helmontius inſignis quoque Chymiæ patronus ceteris ſcientiis prælatæ penitus ex-

Digitized by Google

exploſit. Uterque Logicæ deſpector fuit, uterque æqualiter Galeni doctrinæ infeſtus, & novitatum ſtudioſus non tamen exitu æquali. Obſcura Paracelſi ſcripta abſurditatibus erroribuſque fœdata; clariora Helmontii pluribus ingenioſis, utilibuſque animadverſionibus adſperſa.

Si Chymiæ ductu in rem medicam tot nova intruſa ſunt, inventio ſanguinis Circuitus non minorem ejus partem exagitandi anſam tulit, adeoque novitatum inconſultum ſtudium accendit, ut Raymundus Reſtaurandus, de quo mentio fit in Zodiaco Medico Gallico menſe Julii anni 5. cap. 4. non dubitet affirmare ex temporum intervallis plura monſtra in Medicina, quam in Africa prodire, doleatque Academiam Londinenſem ejus inventricem fuiſſe: quo tritis & tutioribus viis relictis fallaces initæ ſunt. Aſpice, ſi lubet, quoquoverſus artem noſtram, quot nova non occurrent? Oppugnatio occurret diverſorum humorum ſanguinem componentium pro diverſitate alendarum partium, ſpirituum animalium, & calidi ingeniti partibus ſolidis. Occurrent ſubſtituta fermenta rejectis facultatibus a temperamento primarum qualitatum ortis, coctio ciborum per contritum eorumdem a motu ventriculi, & muſculorum adiacentium; vis quædam inſtar ſpiritus, & afflatus omnibus partibus a Deo inſita, totius animalis œconomiæ moderatrix; occurret Matheſis paſſim intruſa, atque a demonſtrabilibus, in quibus jure ſuo verſatur, traducta ad opinabilia materiam non ſuam admirata. Quid autem non occurret, ſi vellem ſingularia placita, & arbitria comprehendere? Tacite tamen prætereunda non eſt mutata, neglectave a plurimis adminiſtratio auxiliorum, quæ vel aliquam vacuationem notabilem efficiunt, vel incitant naturam ad efficiendam, quæ ab antiquis dumtaxat

Dd 2 xat

xat uſurpata fuerunt certis poſitis conditionibus, & circumſtantiis diligenter obſervatis, & declarantibus opportunitatem remediorum, in qua conſiſtit apex Medicinæ.

CAPUT SECUNDUM.

De cauſſis externis, interniſque inconſtantiæ Medicinæ.

VIx Plinius ſermonem ingreditur de Medicinæ origine, quum exclamat: Mirum, & indignum protinus ſubit, nullam artium inconſtantiorem fuiſſe, & etiamnum ſæpius mutari, quum ſit fructuoſior nulla; de qua proinde inconſtantia pertractandum ſuſcepi. Ergone, Plini, Tibi admirationem pariunt frequentes artis Medicæ mutationes, quum ſit fructuoſior nulla? Immo mirandum potius eſſet, ſi ab ejus Profeſſoribus tot novitates excogitatæ minime fuiſſent hac ipſa de cauſſa, quod eſt omnium maxime quæſtuoſa; quando conſtat in qualibet arte, vel opificio lucroſo aliqua novitate, & alio quocumque conatu lucri augmentum quæri:

. . . . . *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames?

Quis dubitet non aliunde magis quam ex auri cupiditate excitatos eſſe Medentes ad artis ſuæ rationem toties innovandam, ſi animadvertat, quo tempore, & quo loco frequentius novitates obvenerint? Poſtquam Medicina ſeparata eſt a Sapientia, & clinica inſtituta ferax proventus, cœpit jactari, novaſque formas induere, tanto mutabilior reddita quanto fructuoſior. Mirum igitur non eſt, frequentiores mutationes erupiſſe Ro-

Romæ opulentiſſimæ Urbis Mundique Dominæ, quarum prima, & præcipua orta eſt, Auctore Plinio *lib. 2. cap. 3.* ab Aſclepiade Pruriensi, qui orandi magiſter, nec ſatis in ea arte quæſtuoſus ſpe uberioris quæſtus ſe ſe ad medicinam repente convertens, blandienſque torrenti ac meditata oratione omnia abdicavit, inquit Plinius, quæ firma antiquitas vindicabat. Multa tamen ejus documenta fere cum vita occiderunt, permutata a Themiſone ejuſdem diſcipulo, & ad ſuum placitum concinnata: ſed hæc ipſa Themiſonis placita Antonius Muſa evertit ingentibus præmiis, atque immortalitate donatus ob Cæſarem Auguſtum gravi periculo exemtum. Hiſce mutationibus non acquieſcens Vectius Valens Meſſalinæ adulterio nobilitatus, pariterque eloquentiæ aſſectator novam molitus eſt ſectam; de qua tamen nihil certi & peculiaris adnotatum reperi, præter opinionem Johannis Clerici, aliquid de doctrina Themiſonis a Valente permutatum fuiſſe. Quid porro incitavit Theſſalum ad delenda cuncta Majorum placita, & rabie quadam perorandum contra omnes ævi Medicos, niſi divitiarum cupido, quas uberrimas cumulavit? Propterea licet adeo magnifice de ſe ſentiret, ut referente Galeno, jactaret a ſe ſolo veram artem tuendæ ſalutis, reparandæque inventam eſſe, tamen aucupabatur Primatum favorem fucatis laudibus, dejecto obſequio, omniaque expetita indulgendo: qui mos utpote ab humana conditione profectus auri eſuritione laborante ad poſteros tranſilivit, multo tamen minore proventu quam Theſſalo: cujus fortunam ſuperaturus Crinas Maſſilienſis rationem eminendi invenit ex Ephemeride Mathematica, uti dictum eſt, horas cibandi obſervando, qua religioſa cautione devinctis indigentium animis a ſideribus, quæ con-

conſulebat, optatam proſperitatem impetravit. Fructuoſius uſus eſt Crinas Matheſi ad obtrudendam populo novam ſpeciem circumſpectionis, quam multi Recentiores eamdem adhibent ad tractanda coniectaria, quaſi certa reddi poſſent, quæ natura ſua ſolam opinionem non ſcientiam ſubjiciunt, neque pertinent ad laborantium credulitatem alliciendam, uti pertinere videbatur affectata cautio Maſſilienſis. Porro Theſſalo, & Crina Romæ fata regentibus opum ingenti copia acquiſita, quæ via ſuperat aliis fatorum proſperitatem aquirendi ſibi, niſi aliqua novitate producta? Huc animum appulit Chermis pariter Maſſilienſis, & accuſata priorum Medicorum inſcitia, atque perſuaſo frigidarum lavationum uſu, qui tamen indicatus prius fuerat ab Antonio Muſa poſtea obſoletus, voti compos fuit auri comparati ubertate. Hinc vide, quantum narrati Novatores receſſerint ab ſapientiſſimo documento Hippocratis in lib. de decenti ornatu, Sapientiam transferendam eſſe ad Medicinam, iſtamque ad Sapientiam, & omnia ineſſe Medicinæ, quæ requiruntur ad Sapientiam, atque in primis argenti contemtum; quod nimio plus adamatum, quæſitumque, ut in ceteris rebus humanis, item in Medicina multa permutavit, permutatque, atque pervertit. Quicquid igitur dicat Cornelius Celſus in Præfatione, Hippocrates non ſeparavit a Medicina ſtudium Sapientiæ, hoc eſt Philoſophiam, ſed collegit, certiſque limitibus comprehendit peculiare notiones ad eam pertinentes, quas, præter univerſalem contemplationem naturæ, poſſideat oportet Medicinam facturus.

Quamquam auri eſuries pleriſque præcipuo incitamento fuit novandarum rerum, tamen ſtimulos quoque addidit oſtentandi ingenii, ducendique familias libido;

Digitized by Google

bido; quibus affectibus irritantibus, ſicuti in aliis partibus Philoſophiæ ſoli contemplationi non operi deditis, multa nova in medium allata ſunt, afferunturque; item & multo magis in Medicina in operibus quæſtuo ſis exercita. Ea quoque ratione opinor Empiricos ſolam experientiam amplexos eſſe, rationem deſeruiſſe, quod iſtius uſus in curandis morbis varia, & multiplicia requirit addiſcenda, minime ſenſibus obvia, & parata, ſed ratiocinio colligenda, ideoque labore multo, & ſollertia. Ergo naturalis propenſio ad evitandam moleſtiam laboris illectamento fuit Empiricis ſeparandi a Medicina, quod ex Philoſophia acceſſerat, pariterque Methodicis ſola evidentia proſequendi, & communia, non propria & obſcura: quibus ſane ſuum inſtitutum breviore tempore acquirendæ Medicinæ magis profuit, quam Empiricis; quibus ſola experimenta conſulentibus longiore annorum curſu opus erat, ut tot experimenta memoriæ conſignarent, quot cuilibet ægrotationis generi curando ſufficerent; de quibus verius, quam de ceteris ſectis dictum putem, Medicum ſenem eſſe oportere.

Hactenus indicavi cauſſas ab ipſis Profeſſoribus ortas, quibus toties ars Medica interpolis fuit: nunc exponenda ſunt, quæ in arte mutabilitatem obtenderint, & occaſionem mutationum haſce ſitientibus. Medicina, quæ ab obſervatione populari remediorum in variis morborum generibus ſalutariter adhibitorum ortum duxit, tot profecto diverſis, repugnantibusque opinionibus, & vicibus patere non potuiſſet, ſi ſemper eadem veſtigia preſſa forent, nec aliud quæſitum præſidium niſi per experientiam. Itaque poſtquam Philoſophi uſi ſua facultate arti noſtræ rationem addiderunt; hæc quamvis neceſſaria additio, ob varietatem mentis humanæ, & mobili-

tatem

tatem etiam a cauſſis externis incitatam, ſcaturigo fuit novarum opinionum, & inconſtantiæ. Sola evidenter certa mutationibus exemta ſunt, variiſque motibus ingeniorum, quorum tamen pauca Medicina poſſidet, plurima coniectaria, & opinabilia. Porro coniecturæ, ut advertit Cicero *lib. 2. de Divinat.* non ſolum in diverſas partes, ſed etiam in contrarias flexibiles invexerunt in artem multiplices novas, diſcordeſque ſententias. Sic multa dubia occurrentia in ſanguinis detractione Chryſippo primo doctrinæ Hippocraticæ, teſtimonio Plinii, oppugnatori opportunitatem præbuerunt genio novationis obſequendi eo vetuſto remedio confutato. Certum eſt per ſanguinis detractionem, ipſo ſenſu judice, depleri vaſa, reliqua tamen ambigua, quæ ad vacuationem conſecutura ſunt: ambiguum, an quantitas detrahenda, quam mente agitamus, infra an ſupra indigentiam futura ſit; ambiguum ſæpe tempus detractionis, & quo pacto vires jacturam ferent ſpirituum una cum ſanguine exeuntium. Cetera ambigua prætermitto, quæ non pertinet huc referre, & penſitare: ſatis eſt animadvertere ſanguinis eductionem opinione, non ſcientia dirigi, & hinc patuiſſe aditum Chryſippo, abdicato phlebotomo, cibi abſtinentiam tamquam ſecuriorem ſubſtituendi. Utrum vero plus habeat probabilitatis Hippocratis placitum præcipientis ſanguinis effuſionem, an Chryſippi abſtinentiam pro diverſis circumſtantiis incertum eſt. Conſule experientiam exitumque curationum, comperies ab aliis eoſdem morbos ſanguine ducto curatos eſſe, ab aliis intacta vena, ab aliis hac inciſa iterato, ſemel ab aliis tum antiquis, tum recentioribus. Idem Auctor perſuaſus a purgantibus per inferiora ſtomachum infirmari, corrumpi humores, quos educunt, antea ſanos, atque colorari

pro

pro natura ſui veneni, eiſdem refutatis jejunium ſubrogavit.

Addita ratio Medicinæ, unde hujus inconſtantia initium duxit, quemadmodum Chryſippo, aliiſque in cauſſa fuit multa innovandi ratione retenta; ita Empiricis præſtitit argumentum rationis relinquendæ utpote in dubiis obſcuriſque verſantis; qua relicta, neque tempus laboremque inſumunt in perſcrutandis natura corporis humani, ejuſque actionibus, neque latentibus cauſſis, neque aliis a Rationalibus ſollerti meditatione agitatis. Itaque Empiricis ſumma mutationum fuit conjecturæ refutatio, cultioque ſolius experientiæ; qua ſola præſide facili ad habendum, nec fallaci ad agendum, uti crediderunt, non dubitarunt, quin remediis ab ea deſumtis amiſſa ſanitas reſtitui poſſet, ſemotis obſcuris, & controverſis, de quibus poſſunt quidem alii alia ſentire, non poſſunt de remediis expertis.

Empiricis minus adverſi rationi fuerunt Methodici, ut ait Galenus, dimidia parte rationales, non inquirentes remedia, uti Rationales per generales, & ſingulares indicationes, ſed tantum generales. Sumſerunt illi ſuæ ſectæ occaſionem partim ex Philoſophia, partim ex Medicina: ex Philoſophia, inquam, Democriti, & Epicuri contextum rerum omnium ex atomis, ſive minimis particulis efficiente exiguis meatibus interſperſum, omneſque qualitates ad numerum, figuram, ordinem, & magnitudinem atomorum referente. Hac rerum poſita conformatione, traductaque ad Medicinam conſequens erat, ut omnes morbos intemperierum rejicerent, ſolos admitterent genitos ex vitio materiæ, contextuque perverſo, hujus nempe poris, vel nimium adſtrictis, vel laxatis; unde conſtituta ſunt a Methodicis duo principalia mor-

Ee bo-

borum genera inde exorta. Prætulit facem Themiſoni hujus factionis principi Aſclepiades illius Præceptor, qui ſanitatem in naturali proportione pororum collocabat. Quum autem meatus duplici modo naturalem proportionem amittere poſſint laxitate, vel adſtrictione, hinc fluxit ſententia, duas tantummodo eſſe principales ægrotationes, atque haſce interdum miſceri.

Sententiæ Themiſonis omnes morbos in mutationem meatuum corporis coniicienti directim opponitur altera Athenæi Cilicienſis Plinii contemporanei, qui pleraſque affectiones ſolis ſpiritibus præter naturam permutatis adſcripſit abſque inſtrumentorum offenſa, partiumque texturæ. Porro Athenæus opinatus vera elementa primas eſſe qualitates corporum, quæ elementa vocantur, non ipſa corpora qualitatibus prædita, quintum adſtruxit elementum, ſpiritumque appellavit, omnia corpora penetrantem, & pro conditione ſuæ naturæ tuentem: de quo locutum Virgilium lib. 6. Æneidum:

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem. . . . . .

arbitror non aliud intellexiſſe, niſi ſubſtantiam, quam Lucretius antiquior Auctor vocat nominis expertem:

Quæ neque mobilius quicquam, neque tenuius extat,
Senſiferos motus, quæ didit prima per artus:
Prima cietur enim parvis perfecta figuris;
Unde calor motus, & venti cæca poteſtas,
Accipit, inde aer, inde omnia mobilitantur.

Ergo Athenæo Philoſophia, quam profitebatur, primo indicavit novanda in Medicina; nempe qui conſtituens conſervationem omnium corporum in ſpiritu naturæ modum ſervante, non poterat, quin ſanitatis tutelam in eodem poneret, ejuſque jacturam in receſſu ſpiritus ab ſtatu

ſtatu naturali. Qualis autem ſit hic receſſus ex ejus ſcriptis innoteſceret, niſi admodum pauca poſteritati tradita forent; quamvis Galenus de Elementis affirmet, nullum auctorem ejus temporibus tam univerſe de Medicina ſcripſiſſe, atque Athenæum. Quemadmodum autem ita ſpiritus vitientur, ut morbos inferant, lumen aliquod dumtaxat Aretæus, qui creditur feciſſe cum Athenæo, præſtitit in deſcriptione Anginæ genitæ abſque læſis inſtrumentis, ſolidiſque partibus; qui, uti dictum fuit, affirmat, ſpiritus morbidos fieri, & anginæ cauſſam contracta intenſa caliditate & ſiccitate. Annon etiam potuit Athenæus aliud argumentum ſuæ novitatis ducere ex difficultate plurium morborum probabiles cauſſas vertendi vitio humorum, ſolidorumve, quales ſunt cauſſæ affectionis hyſtericæ, & hypochondriacæ in viris, tot ſymptomatum ſcaturigines? Huc ſane confugit etiam Sydenhamus celebris Neotericus, qui ſcrutatus earum affectionum cauſſas fatetur, ſe nullam minus improbabilem inveniſſe ſpirituum ataxia, ideſt ordinis confuſione, & perverſione.

Poſtquam Medicina alia aliis ei adjicientibus, aliis adimentibus, aliis mutantibus ad inconſtantiam magnam deducta eſt, ex ipſa varietate diſſenſuque opinionum Leonida occaſionem novitatis traxit, & Epiſyntheticam Scholam inſtituit facto acervo omnium opinationum, & diſcrepantium conciliatione; ſed nihil extat, unde declaretur, quemadmodum hæc novitas praxi regendæ inſerviret. Differt hæc conſtitutio Medicinæ ab altera dicta electrice fautore Archigene, quod illa ſuam operam impendit copulandis componendiſque ſententiis; electrix nullius axiomatis addicta ceteris præſtantiora ſecernit ampleciturque. Præceſſit hujus ſectæ conditorem fere annis 50.

Digitized by Google

vel 60. adnotante Johanne Clerico, Putamonus Alexandrinus pariter auctor Philoſophiæ ex aliis omnibus, quicquid melius inerat, eligentis, quod exemplum ad Medicinam translatum eſt: de qua ſecta in capite proximo meam ſententiam feram.

Poſtremo aliquid dicendum ſuperat de Novatore Philippo Paracelſo, qui non ſolum uſus eſt remediis Chymia præparatis, uti qui præceſſerunt eadem inſtructi, ſed omnes nervos intendit, ut artem univerſam a capite ad calcem innovaret, & ab aliis ſtabilita funditus ſterneret, capto argumento ab igne corpora diſſolvente. Rejectis igitur quatuor elementis communiter admiſſis tria ſola ſubſtituit, ſal, ſulphur, & mercurium, explicatque combuſtione ligni, cujus inflammatam partem ſulphur vocat, verſam in fumum mercurium, ſal cineream; de quibus etiam ab Iſaac Hollando, & Baſilio Valentino antea nonnulla dicta fuerant. Hiſce ita conſtitutis definit corpus humanum nihil aliud eſſe, quam eorum trium coitionem, & hinc morborum cauſſas eſſe quærendas, non ex quatuor elementis, aut iſtorum qualitatibus, nec ex quatuor humoribus prætermiſſa conſideratione temperamentorum aliorumque plurium artem obſcurantium. Quum autem fere quælibet remedia diverſæ præparationi idonea ſint, iiſdemque morbis vincendis, potuit Paracelſus flagrantiſſimus amore Chymiæ ſibi indulgere uſurpatis remediis ſolis ab ea ſubactis, quæ tamquam puriora, efficaciora, atque palato minus inſuavia præferebat. Ceterum quis inveſtiget, unde excitatus fuerit Paracelſus ad tot innovanda in qualibet Medicinæ parte, ad deſignandum cuicumque membro principali Planetam, imaginandum eſſe in homine cælum, terram, & proprietates omnium animalium? Nullis ratiocinii legibus coer-

Digitized by Google

coercitus, quicquid imaginationi occurrebat, effudit, eademque libertate uſus non ſolis rebus novitatem affinxit, ſed ipſis verbis, quorum multa nihil ex communi hominum ſermone ſignificarent, quædam tantum mirabilia ex ejus arbitrio. Porro Chymiam a Paracelſo in Medicinam longe lateque propagatam illius commentis, abſurdiſque abdicatis plures retinuerunt, retinentque, ejuſdem principiis explicantes diverſas ſanguinis partes, diverſos humores, cauſſas morborum, vim medicaminum, aliaque plura alleѐti ſimilitudine ſubſtantiarum, quæ igne artificioſo fiunt, vel ſeparantur, ſenſuque non ſola mente percipiuntur.

Quemadmodum Chymiatri ex ſuis principiis rem medicam exponentes rationem novandi capiunt; item ſectatores Phyſicæ Democriti, & Epicuri aliter pertractant eamdem materiam, atque pertractarunt cultores cujuſdam Phyſicæ in præſens relictæ, quæ tribuitur Ariſtoteli omnia componenti ex materia, & forma duabus ſubſtantiis incompletis, quæ coeuntes unam completam efficiunt ornatam multiplicibus qualitatibus a materia diſtinctis. Verum ex cultu alterius Phyſicæ omnia ad materiam diverſe modificatam, motumque varium referentis, licet multorum explicatio mutata ſit, nullam tamen mutationem ſubjerunt, quæ pertinent ad praxim methodumque medendi. Dic, ſi placet, calorem eſſe ſimplicem qualitatem genitam a forma ſubſtantiali mixti materia vacuam, aut conſiſtere in motu vario, celeri, perturbatoque inſenſibilium, nihil ex alterutro placito colliges, quo minus calor indicet refrigerantia, vel per ſe, vel ex accidenti tamquam contraria, qualemcumque ejus naturam eſſe putes. Idem valet in alia pertinentia ad medendi leges elaborata accom-

Digitized by Google

commode ad phyſicam corpuſculorum, motuſque. Ceterum ſine animadverſione non præteribo ex nuperis quoque inventis exigentibus aliquam reformationem in adminiſtratione quorumdam remediorum, nullam eſſe factam; loquor præcipue de Circuitione ſanguinis, de qua plerique Recentiores, plus quam par eſt, gloriantur. An non illa aliam ab antiqua venæ tundendæ methodum, & conſentaneam perpetuo celerique per omnia vaſa circumductui requirit, quæ tamen adhuc deſideratur? Provoco ad Archibaldum Pitcarnium ejuſdem inventi patronum, qui dolet eamdem ſervari rationem detrahendi ſanguinis, qualis ante illud ſolebat ejuſdemque legibus repugnans.

CAPUT TERTIUM.

Animadverſiones de principalibus Sectis.

EX enumeratis Medentium Sectis tres eſſe præcipuas, & celebratiores, Rationalem, Empiricam, & Methodicam totius artis conſtitutione ſpectata in confeſſo eſt: de quibus præter dicta breviter alia animadvertenda occurrunt.

Schola Rationalium profeſſa experientiæ, pariterque rationis ductum eſſe ſequendum, attendenda communia, & propria, evidentia & conjectaria, vere electrix dici poteſt, vel eligentium, qualem ſupra vidimus vocatam fuiſſe Archigenis diſciplinam. Qui ſibi ad agendum rationem ducem præficit, neque vulgatarum opinionum rumoribus capitur, neque ullius auctoritati devovetur, ſed de re quacunque ob'a:a a l inveſtigandum id affirmat, quod ſibi repræſentatur ut verum, aut ſimilli-

Digitized by Google

millimum veri, ita exigente conditione intellectus potentiæ neceſſariæ; qua neceſſitate exhibitis multiplicibus conjecturis varias facies habentibus, fertur intelligentia in accommodatiorem captui ſuo, deſtinatque actioni. Sæpe quidem Medicina non ex perſpicue certis ſenſuque perceptis, ſed obſcuris ambiguiſque in actionem exit, ſemper tamen ex illis, in quæ rationis majus pondus aſſenſum trahit. Sunt, inquit Hippocrates *lib.* 4. *de rat. vict. acut.* aſpectus multi ægrotantium: quare animadvertendum eſt Medico, ne aliqua cauſſa manifeſta ipſum lateat, neque ulla earum, quæ ſyllogiſmo agnoſcuntur. Quum autem pauci ſint demonſtrativi ſyllogiſmi, multo plures tantum probabiles, hinc ſcatent diverſæ oppoſitæque opiniones, hinc infelices curationes contingunt, falſæque præſagitiones; in quibus rarius peccant, qui ſunt ingenio inſtructiore, atque exercitatiore, ſecernentes ex variis repræſentatis opinabilibus vero proximiora, ſi nequeunt vera. Quid igitur eſt aliud ſecta Rationalium niſi eligentium electorumque ſecta? quæ ſcilicet ab Empirica, & Methodica, immo ex rebus univerſis pertinentibus ad artem ſeligit, amplectiturque congruentiora inſtituto rationis. Experientiam, quam ratio demonſtrat conſulendam eſſe, attente perſequitur, & fructuoſius quam Empirici logico ratiocinio deſtituti, ſine quo, ut loquar verbis Tullii, nec judicare quæ vera, quæ falſa ſunt, neque cernere conſequentia, neque repugnantia videre, ambigua diſtinguere poſſumus. Laxum item adſtrictumque Methodicorum morbis inſtrumentorum adnumerat, nihilque prætermittit, in quo verſantur Empirici, & Methodici, modo dignum ſit electione; eaque præterea, quæ ab utriſque deſpiciuntur, pertinent tamen ad naturæ contemplationem, in

pre-

Digitized by Google

pretio habet meditaturque. Etenim naturæ meditatio; ut ait Celſus in Præfatione, quamvis non faceret Medicum, medicinæ aptiorem faceret ejus ingenium excitando; ideoque a naturæ contemplatoribus per additamentum rationis medicina ſuam perfectionem acquiſivit.

Ex facta comparatione familiæ Rationalis cum Empirica & Methodica conſtat, quantum illa ſupra utramque emineat, quamvis utraque perdiu floruerit claris ſectatoribus ornata. Annos quatuor centum & ultra viguit Empirica, de qua illud mihi inquirendum obverſatur, qui fieri potuerit, ut ejus Profeſſores, ſine logica meditatione, ſine cauſſarum morbidarum, abditarumque inveſtigatione, ſine ſtudio Anatomiæ, ceteriſque Rationalium præſidiis, confiſi ſolis ſenſibus & memoria finem artis cum laude aſſecuti fuerint. Si ratio naturæ imitatio eſt, ut ait Seneca *Epiſt. 66.*, & Medicus naturæ miniſter, & adjutor eſt, quomodo eam in curandis morbis imitari poterit ſine ratione? An igitur ea ſuperflua, & inutilia ſunt, quibus addiſcendis diſputandiſque tantum operæ & laboris Dogmatici impendunt? An nihil confert curandis morbis ex iſtorum laborioſe conquiſita, cognitaque natura indicata remedia adinvenire? Ita ſentiunt Empirici apud Celſum in Præfatione, qui tamen ad ſuum placitum tuendum ad multas acute excogitatas rationes confugiunt, non ſola evidentia, & ſenſibus teſtata producunt: ut difficile creditu ſit ad pulvinar ægrotantium ſolo ſenſu & memoria uſos eſſe: de quo tamen nihil certi affirmari poteſt, nullis eorum monumentis poſteritati mandatis. Ceterum nil miror plures morbos ab eiſdem eſſe expugnatos, & inde populi aſſenſum, & commendationem eſſe impetratam, nempe qui, ut ait Socrates in Paræneſi, veritatem ignorat, opi-

opinionem ſequitur; quod etiam acutius expreſſit Seneca aſſerens populum non ex natura rebus pretium imponere, ſed opinione. In dies videmus in pauperibus ſolius opera naturæ, neque ſatis idoneo cibo, neque ullo remedio adiutæ graves morbos ſuperari; hoſque pariter ſuperari videmus a pluribus Medicis nihil aliud de Medicina callentibus præter conſuetudinem, immo ſæpe importune conſueta adhibentibus, tamen natura eorum imperitiæ reſiſtente. Deſine igitur inquirere, quemadmodum Empirici præſertim cultiores, & diligentiores cognoſcendarum affectionum plures curationes proſpere obire potuerint, & nominis claritatem ſibi comparare. Quod ſi Medicus, quamcumque ſectam profiteatur, ſermone præſtet, ſalutem ſpondeat, & aliquam novitatem præſeferat, dominus eſt ſecundæ famæ, vulgique admirationis. Poſtquam Plinius multos celebres Medicos narravit magnam opum vim adeptos; nec dubium eſt, inquit, omnes iſtos famam novitate aliqua aucupantes, animas ſtatim noſtras negotiari; palamque eſt, ut ſubdit, ut quiſque inter iſtos loquendo polleat, imperatorem illico vitæ neciſque fieri. Ergone, Plini, toti orbi imperantes tam abiecte provoluti ſunt imperio Medicorum, ut ipſis concederent arbitrium vitæ neciſque? Ita quidem; adnectitque idem Plinius rationem: nemini noſtrum, inquit, libet ſcire quid ſaluti ſuæ opus ſit. Alienis pedibus ambulamus, alienis oculis agnoſcimus, aliena memoria ſalutamus, aliena vivimus opera, perieruntque rerum naturæ pretia, & vitæ argumenta. Nihil aliud pro noſtro habemus præter delicias. O eximiam animadverſionem dignamque veteri gravitate Romana! Ita dolet Plinius memor ſexcentum annorum, quibus Roma Medicis,

Digitized by Google

non Medicina caruit, quodve doluit Plinius ſua ætate accidiſſe, non minus dolendum, accidere in præſens, quo tempore ob multitudinis inſcitiam plurimorum Medicorum altricem, vel tenui litterarum inſtructu unicuique in proclivi eſt, favente caſu, celebritatem nanciſci, imponere, fierique dominum vitæ neciſque. Clamat Hippocrates in artis veſtibulo judicium eſſe difficile, ideſt ex interpretatione doctiſſimi Valleſii ferre judicium de habito experimento, ut ſi ſanguis miſſus eſt ægrotanti, & ſublevatus eſt paullo poſt, dicere vere, an ſublevatus ſit, quia ſanguis eſt miſſus, an quia ita contigit. Mirum eſt, paullo poſt ſubdit Valleſius, quam facile, quam incunctanter vulgares Medici de cauſſa valetudinis rogati etiamſi annua, vel longior ſit, hinc hoc, illinc illud initium cœpit. Certe facilius affirmant quæ neſciunt, quam quæ ſciunt. Eruditi vero cunctanter, & multa rogantes ab ægrotis tandem multo pauciora reſpondent, quia ſciunt judicium eſſe difficile. Quod ſi tam imperite judicant vulgares Medici artis non omnino ignari, profecto multo imperitius erit judicium multitudinis indoctæ, cujus ruditate etiam infelices curationes vel approbantur, & commendantur, vel non damnantur, dummodo numquam ceſſatum ſit a remediis conſuetis, quæ tamen ſæpe mortem accelerant. O infelicem Medicinæ conditionem populari judicio expoſitam, contra quam ejus natura poſtulat! quæ pars eſt Philoſophiæ, ſine qua neque addiſci, neque recte exerceri poteſt. Porro Philoſophia, ut ait Tullius, paucis judicibus contenta eſt, multitudinem conſulto fugiens, quam ſi poſſet vitare Medicina, quanto nobilior, quanto fructuoſior foret? Quot enim abſurda non parit vulgi aſſenſus, & approba-

ba-

Digitized by Google

batio in perniciem valetudinis, & vitæ extollens ægrotantium potius vexatores, quam adjutores, ſi caſum excipias? Internoſcendum eſt æſtimaturo de curationibus morborum, quid ſalutariter, quid noxie, quid ſuperflue, quid neceſſario peractum ſit, adjudicandaque ſuis cauſſis, quæ contingunt poſt uſum medicaminum, & coniectandum an opera eorum evenerint, an naturæ, an externorum, caſuque; quorum cognitio reſervata eſt Medico ratiocinio præſtanti, uſuque proprietates meditandi, variaſque rationes comparandi. Enimvero judicium populi ad decernendum de Medici præſtantia fauſtum eventum curationis dumtaxat attendit, quacumque ratione ille obvenerit, ſive recta medicaminum adminiſtratione, ſive viribus naturæ ſuppleṅtibus a Medico omiſſa, ſive ejus errata ſuperantibus. Idem igitur exitus plurium morborum æque poteſt eſſe ab Empirico, atque Rationali, difficulter tamen eſſe poteſt eadem celeritate, jucunditate, & ſecuritate, qua ſuam operam præſtat Rationalis, modo re talis ſit, non verbo, quales tamen eſſe pleroſque in dies apparet ſolius conſuetudinis in curationibus obſervatores, quaſi homo univerſalis Metaphyſicorum ægrotaret.

Si perdiu magno in honore fuit Empirica factio majorem quoque obtinuit Methodica, immo ſuperiorem etiam Rationali, nec eam brevi tempore, ſed annis circiter tricenis, uti notat Proſper Alpinus *Cap. 1. de Secta Meth.* Enimvero unde Methodici tantum nominis ſplendorem operibus conſecuti ſunt communia dumtaxat verſantes, negligentes privata? ſine quorum cognitione fieri nequit, quin in curatione diſſimilium morborum in diſſimilibus temperaturis modo levius, modo gravius

peccetur. Quare viſum eſt Cornelio Celſo in Præfatione, hos auctores a proprio inſtituto deſciviſſe, & propria quædam non tantum communia conſideraſſe: *Ac ne iſti quidem ipſi*, inquit, *intra ſuam profeſſionem conſiſtere ullo modo poſſunt. Siquidem fluentium & compreſſorum morborum genera diverſa ſunt, faciliuſque id in his, quæ fluunt, inſpici poteſt. Aliud enim eſt ſanguinem, aliud bilem, aliud cibum vomere*. Itaque mihi patet aditus opinandi, Methodicos multa in cubili ægrotantis perpendiſſe, quæ foris in oſtentationem ſuæ ſectæ non perpendenda prædicabant, imitati quadantenus Academicos, qui in ſchola diſſerentes de omnibus dubitabant, minime in foro communem vitam agentes. Et ſane Proſper Alpinus, qui ad illuſtrandam Methodicam ſectam, augendamque priſtina exiſtimatione, & auctoritate tredecim libros conſcripſit, non diffitetur, ejus Profeſſores reſpexiſſe ad naturam particularem ægrotantium, ſexum, ætatem, conſuetudinem, vitæque rationem, aliorumque accidentium; ſed contendit, iccirco per hanc conſiderationem ſui inſtituti limitibus non exceſſiſſe mentem ad ſolas communitates intendendi, propterea quod per eas differentias attentas ſolum mutatur medicamentorum quantitas, vel agendi efficacia, retinetur eſſentia. Ergo, Alpine, ad inveniendam congruam remediorum quantitatem, majorem, minoremve efficaciam animadverſio temperamenti, ætatis, aliorumque diſcriminum conducit? Cum igitur Medici officium ſit idoneam quantitatem remedii eligere, atque efficacitatem, quomodo tueri potes Methodicos cogitationem totam communitatibus, nullam proprietatibus impendiſſe. Verum inquis, notum eſſe etiam Medicinæ ignaris debiliora purgantia convenire ſenibus,

pue-

Digitized by Google

pueriſque, itemque aliis non ætate, ſed altera de cauſſa imbecillis, robuſtiora robuſtioribus; convenire ulceri in ſicciore corpore ſicciora medicamina, in humidiore humidiora, itemque de ceteris. Enimvero licet Medicinæ rudes quædam generatim enuntiare valeant de quantitate remedii; certam tamen & particularem vix docti, atque exercitati multaſque conferendo rationes, teſtimonio Hippocratis in lib. de Alimento, invenire poſſunt. *Magna res eſt*, inquit, *quantitas ad vires ſollerti ratiocinio adaptata*. Sive tamen, Alpine, facilem dicas inventionem quantitatis remedii, ſive difficilem, fatearis oportet, hanc inventuro propria quoque non tantum communia ante oculos habenda eſſe. At enim, inquis, propriorum hæc conſideratio non mutat eſſentiam, ſive ſpeciem remedii comprimentis, vel laxantis. Eſto. Veruntamen hæc immutabilitas non tollit neceſſitatem meditandi proprietates ad definiendam menſuram, vimque remedii, immo etiam ad dignoſcendum receſſum morbi a ſtatu naturali, cui debet aptari quantitas contrarii; ruitque propterea conſtitutio Methodicorum poſita in ſolo intuitu univerſalium, quam credebas defendi per eſſentiam medicaminis non mutatam ex conſideratione differentiarum.

Placuit hæc breviter diſſerere contra Proſperum Alpinum ad clarius intelligendam Methodicam diſciplinam, quæ licet videatur non parum diſſentire ab Rationali, certe opus fuit ingenii non vulgaris, neque philoſophica meditatione deſtituti, multiplices varioſque morbos omnes inſtar Metaphyſicorum e ſuis differentiis abſtrahere, atque omnium duo tantum principalia genera conſtituere, & tertium ortum ex eorum miſtione; itemque omnia contraria morbis opponenda ad duas tan-

tum-

Digitized by Google

tummodo claſſes referre. Ceterum huic ſententiæ facem prætulit Hippocrates definiens Medicinam additionem, & ablationem; cujus propterea inſtrumenta neceſſum eſt, ut ſolum duorum generum ſint, auferentium, & addentium; quorum alterum apponit, quod præter naturam deficit, alterum quod ſuperfluit, tollit. Utrum vero redundans, vel deficiens meatibus laxatis, compreſſiſve primario adjudicandum ſit, merito in controverſia poſitum eſt, quam ſi vellem agitare, a meo inſtituto aberrarem. Tolle tamen ſimplices qualitates a materia diſtinctas exploſaſque a Phyſica hodierna; tolle ſimplices intemperies materia vacuas ab Antiquis inter præternaturalia recenſitas, plurimos ſane morbos ad genera Methodicorum revocare poteris. Quamquam autem id placitum ingenioſa ſpeculatione repertum eſt, atque a clariſſimis viris in uſum vocatum, opinor non ſufficere rectæ curationi ex facili obeundæ, citraque periculum erroris. Neſcio tamen utrum plura ſint addenda Methodicis, an Rationalibus hodiernis adimenda, cujus dubitationis momenta Tironum utilitati proponam; qui hæc non diſſerui, ut dumtaxat artis noſtræ inſtabilitatem, veteres novaſque mutationes cum Plinio accuſarem, ſed inde quaſdam animadverſiones colligerem ad declinandam nimiam laxitatem opinandi effuſam in Medicinam.

Themiſon auctor Methodicæ factionis definit, artem noſtram eſſe Methodum conducentem ad cognoſcenda in morbis communia, & evidentia omiſſis propriis, opinabilibus, & conjectariis, quæ evidentiam non ſubjiciunt. Num igitur, quod iſta neglexerint Methodici, ab Rationalibus reprehendendi ſunt? Ab paucis hercle. Plurimi enim, qui hujus ordinis ſe jactant, in ſola generalia in-

incumbunt, eaque non evidentia, & manantia a principio evidenti, qualia ſunt Methodicorum communia, ſed ducta a conſuetudine judicio populari approbata, cujus ductu in quolibet morbi genere conſueta uſurpant. Enimvero in alias ſalebras incurrunt Dogmatici, quos evitant Methodici ſolis evidentibus operam dantes, illi, inquam, Dogmatici, qui nimium operæ laboriſque inſumunt in obſcura, & multum difficilia ad penetrandum, curamque meditantium fruſtrantia. Quæ cito, adeoque facile non diſcuntur, monet Tullius *lib.* 3. *de Orat.* numquam omnino perdiſci. Quanto magis recedimus a ſenſibus, mentis miniſtris in occultorum inveſtigatione, tanto magis fallimur, ut conſultius ſit ea præterire, & ignorantiam fateri, aut, quod in idem recidit, ad latentes qualitates confugere, quam ignoratis noſtras imaginationes affingere. Itaque hiſce rimandis exponendiſque deditì mihi videntur potius Chryſippi diſcipuli ſomniorum Stoicorum interpretes, ut ait Tullius *lib.* 2. *de Divinit.* quam veri ſcrutatores; qui tot futilibus excogitatis, arbitriis, fabulis, ſomniis libros Medicorum reſperſerunt. An non igitur hoc reſpectu commendatiores Methodici, qui hæc dumeta declinarunt, & quo minus ſpinoſis quæſtionibus implicarentur, neque rerum eſſentias, neque logicas definitiones, neque cauſſas retruſas ad indagandum ſuſceperunt? Nolo tamen Profeſſores rationalis Diſciplinæ ab meditandis obſcuris involutiſque abſtineant, atque in totum Methodicos imitentur, dummodo meditatio ſobria ſit, veraque proferat, aut ſimillima veri, & operi aliqua ratione conducibilia. Ceterum poſtquam relicta ſunt Majorum veſtigia, lateque novitatibus patefactus campus, in dies arbitria cogitantium emittuntur, quæ Philoſophiæ

non

Digitized by Google

non omnino expertibus, & in arte provectis tædio ſunt; & ſtomacho, tironum vero mentem futilibus onerant, & confundunt, non illuſtrant expoliuntque, neque exercent ad ſolide ratiocinandum; idque parumper e via digrediens paucis oſtendam. Hoc anno, quo hæc ſcribo, pro ritu Academiæ Patavinæ de febribus ſermonem habens, ſæpe mecum ipſe dolui, quam inconſiderate, & jejune res noſtra tractetur, dum priſca recentiaque placita ad uberiorem juventutis inſtructum evolvo, expendoque. Hippocrates, & Galenus febrem igneum calorem definiunt congruenter ad communem hominum ſenſum, qui ſtatim, ac plus ſolito incaleſcunt in ſuſpicionem febris veniunt. Huic conſenſui, quem Cicero *lib.* 1. *Tuſcul. cap.* 15. naturæ vocem appellat, opponitur Helmontius, ſumta ratione a frigido principio febrium intermittentium, quo credit febris eſſentiam in calore poſitam aperte dirutam eſſe; ſed non advertit frigus eſſe indicium febris imminentis, uti oſcitationem pandiculantis, non tamen febris initium, ſicuti definite Galenus, Fernelius, aliique aſſeruerunt. Ettmullerus porro experientia fultus eidem ſententiæ contradicit *de Feb. in genere cap.* 1. ubi narrat ſe vidiſſe quemdam artificem inſigniter ſcorbuticum perfecta tertiana citra calorem laboraſſe. Recurrebat febris, inquit, tertio quoque die ſemper duas horas anticipando cum maximo frigore & horrore per integram horam, quem nullus ſequebatur calor, & loco caloris ingens articularis, & totius corporis cruciatus, præcipue tamen dorſi lumbaris regionis, femorum, & circa centri meſenterium. Hiſce doloribus ſolvebatur paroxiſmus abſque ullo calore, atque ſub finem paroxiſmi materia viridiſſima, teterrimi, & amaricantis ſaporis rejiciebatur. Urina erat valde rubra pallida, & craſ-

Digitized by Google

& craſſa cum copioſo ſedimento, & arenulis, ſive ſalibus matulæ affixis. Ergo, Ettmullere, hoc eventu credis, te evidenter probaſſe febris eſſentiam in calore nullo modo ponendam eſſe? Antequam tamen victoriam canas, audi quemadmodum Galenus definit febrem, quam ait eſſe caliditatem nativam in igneam verſam, fuſamque aut per totum corpus, aut pleraſque partes, aut nobiliſſimas. Ut igitur probes narrato ægroto eam definitionem ſterni, duo tibi ſuperant demonſtranda, nullum calorem præter naturam in ulla ex dictis partibus fuiſſe; deinde eum morbum fuiſſe perfectam tertianam. Si enim demonſtraveris nullam partem intenſius excaluiſſe, & ego affirmem ei morbo aliqua communia fuiſſe cum febre tertiana, eſſentiam defuiſſe ob vacuitatem caloris, qua ratione oppoſitum evinces, & inde veterem definitionem confutabis? Pro me ſtat idea febris, quæ communiter apud homines invaluit, quaſi quadam anticipatione naturæ. Tuas vero partes quid ſuſtinebit præter tuum arbitrium?

Quandoquidem Neoterici contradicunt febris definitioni Galeni, aliorumque Majorum, videamus an aliquid clarius & verius attullerint. Vvilliſius *cap. 3. de febr.* definit febrem eſſe immodicam effervescentiam ſanguini humoribuſque inductam cum ſiti, vigiliis, dolore capitis, aliiſque moleſtis ſymptomatis. Non contendo a Vvilliſio logicam definitionem febris, ſed minus inde, quam fieri poſſit, aberrantem. Convenit ille cum Antiquis conſtituens febrem in calore immoderato, ſed vehementer diſconvenit addens definitioni ſymptomata, quæ nec in omnibus febribus, nec quocumque febris tempore reperiuntur: qua additione nihil poteſt eſſe repugnantius etiam laxæ definitioni.

Digitized by Google

Franciſcus Bayle Profeſſor Toloſanus in ſuis Problematis febrem definit præternaturalem diſpoſitionem ſanguinis, quam acre aliquod exaltatum inducit, quæque pulſum efficit frequentiorem, actioneſque naturales lædit. Anne hæc definitio clarior eſt definito? Nihil profecto minus. Aſſignat tantum cauſſam diſpoſitionis ſanguinis febris eſſentiam continentis, non aſſignat, in quo conſiſtit hæc diſpoſitio, quod in definitione declarandum erat. Ceterum cur ſolum acre exaltatum poteſt eam diſpoſitionem inferre, minime alia ſecunda qualitas, vel iſtarum miſtura? Cur non poteſt etiam factus acervus calidarum particularum in ſanguine?

Laurentius itidem Bellinus in Tractatu de Febribus ſub initium ad ſanguinis diſpoſitionem refert febrem; quam definit vitium ſanguinis aut in motu, aut in quantitate, aut qualitate, aut in horum aliquibus, aut omnibus. Num poterat confuſius deſcribi ne dum definiri febris? Videtur hæc deſcriptio confecta ad obſcurandam notitiam febris, non illuſtrandam, nihil producens, per quod illa ab aliis morbis pluribus ſecernatur. An non ſæpe ægrotat homo ab exoticis variiſque qualitatibus ſanguinis abſque febre? An non motus ejuſdem in hanc, illamve partem contra leges naturæ concitatus parit fluxum perniciosum abſque febre? Quantitas vero, ſi loquimur de copioſa, poteſt eſſe occaſio morbi, non morbida cauſſa, quam ſcilicet Hippocrates *lib.* 1. *Aphor.* 3. in Athletis conjunctam cum optima valetudine conſideravit. Porro animadverto, auctores, febris eſſentiam in vitium ſanguinis, & humorum rejicientes, de medio tollere diſtinctionem inter morbum morbique cauſſam adeo neceſſariam rei medicæ clare ordinateque tractandæ: qua diſtinctione admiſſa, & conceſſo febrem morbum eſſe, uti tota

An-

Digitized by Google

Antiquitas docuit, illa proculdubio actiones proxime offendit; neque ita poteſt offendere, niſi partes inſideat operationum proxime effectrices, quales ſunt partes ſolidæ, atque inſtrumentales, non ſanguis & humores; ideoque ſibi Priſci conſentientes febrem calori extraneo partes ſolidas occupanti attribuerunt. Vitium igitur humorum, ſi velimus ſervare dictam perutilemque diſtinctionem, cauſſa proxima febris eſt, calor præter naturam fuſus per ſolida febris.

Pauca adnotavi breviter de febris definitione Recentiorum, eademque brevitate quædam de cauſſa ab eiſdem producta perſtringam. Alphonſus Borellus de motu muſculorum propoſit. 225. rejectis aliorum ſententiis de cauſſa proxima fervoris febrilis ſubſtituit novitatis gratia immoderatam cordis concuſſionem concitatam ab ſucco nerveo acriore reddito, ducitque argumentum ex ira, qua corde vehementius agitato novus intenſiorque calor in toto corpore accenditur. Hanc acrimoniam, inquit, acquirit ſuccus nerveus in glandulis, & radicibus nervorum, aſſumens e nervis aliquem ſuccum certæ naturæ aptum ad varias functiones obeundas in glandulas deponi. Quare, ut ſubdit, obſtructis nervorum oſtiolis, impeditoque exitu ſucci deponendi in glandulas, hic retentus ex aliqua fermentatione contracta acritudine fertur poſtea ad cerebrum, & inde ad cor delapſus id fortius concutit, æſtumque febrilem accendit. Si opponas ex hoc aſſumto, ſequi evidenter etiam alios muſculos ab eodem ſucco nerveo fortius agitandos eſſe, reſpondet imaginando nervos inſertos cordi ſuis extremitatibus ſemper patere, delatos ad alios muſculos ſemper connivere, nec aperiri niſi imperio voluntatis inſtar hirudinis contrahantur, propterea ab acri ſucco nerveo cor

 vehe-

Digitized by Google

vehementius agitari, minime muſculos aliarum partium: Agis ne, Borelle, Philoſophum, Medicumque, an Vatem? Imaginaris quemdam ſuccum e nervis in glandulas deferri, illorum extrema obſtrui, obſtructione ſuccum retineri, ex fermentatione acrem fieri, ita vitiatum ad cerebrum e diſſitis partibus aſcendere, inde ad cor deſcendere, hujus nervos jugiter eſſe patulos, aliorum muſculorum clauſos, & hac diverſitate nervorum ſtructuræ contingere, ut ab acrimonia ſucci nervei ſolum cor fortius in febribus concutiatur. Enimvero quis Genius has tibi imaginationes ingeſſit? Adfuitne tibi dormienti, an vigilanti? Utinam etiam communicaſſet tibi, quemadmodum tueri queas, a ſucco nerveo acriore ſolum cor vehementius agitari, minime ceteros muſculos, quo tempore ex imperio voluntatis febricitante brachium, vel aliud membrum movente nervi commoti membri dehiſcunt, ſpiritusque acriores factos recipiunt.

Ex imaginationibus Alphonſi Borelli liceat mihi tranſire ad illas Hecqueti in novo conſpectu Medicinæ *part.* 2. *cap.* 14. Primum aſſerit febrem eſſe propriam partium ſolidarum; quod ego pariter defendi collocando eſſentiam cum Antiquis in calore vitioſo partes ſolidas occupante, non humores, contra quam multi Novatores opinantur. Alia tamen ratione Hecquetus ſolidis febrem attribuit, non calorem per ea fuſum accuſando, ſed fortiores eorum oſcillationes ex variis cauſſis, quas vocat occaſionales, primumque in ſolida agentes excitatas. Si aer, ait, peccaverit in corpus, corrugatur cutis, ejuſque ſpiraminibus occluſis magnus fit materiæ inſenſilis perſpirationis confluxus ad ſanguinem, cujus propterea moles adaugetur: quo augmento humores majorem vim acquirunt reſiſtendi oſcillationibus ſolidorum; quæ propterea fortius oſcil-

Digitized by Google

oſcillant ad efficacius vincendum fluidorum reniſum; Præterea exaſperatis ab aeris læſione papillis cutis totum nervorum genus exhorreſcit in cutem totum deſinens: qua de cauſſa millenæ vaſorum diametri anguſtantur, ſanguis & ſucci coercentur. Unde fiunt ſtagnationes ſuccorum, quibus diſſipandis, aut diſcutiendis operam dando ſolida motus edunt febriles & conamina produnt. Ita ſua deſideria, & imaginationes exponit Hecquetus, quibus non aſſignat, quare febris ſit propria partium ſolidarum. Etenim ſi dicat febris eſſentiam eſſe ipſum motum ſolidorum fortiorem, longo intervallo recedit a placito ſcholarum, tollitque communem ideam febris, multiſque difficultatibus implicatur. In ira manifeſte augetur motus ſolidorum, augetur in corporis exercitio, & poſt opiparam menſam, augetur in lætitia aliiſque de cauſſis, neque tamen febris adeſt. Quomodo igitur definiet febrem, ſecernetque per definitionem a dictis motibus, ſi velit ejus eſſentiam incremento oſcillationum adjudicare? An vero erit id incrementum factum propter adauctam molem ſanguinis cauſſa proxima febris, ſi nequit eſſe eſſentia? Verumtamen difficile captu eſt, quomodo aer putridus corruptuſque febrem peſtilentem creans, hanc pariat congerendo novam copiam ſanguinis, & humorum, & inde tremores partium ſolidarum incitando. Multo hercle clarius, & probabilius explicavero, quomodo ab ea cauſſa febris peſtilens excitetur, ſi dixero ab aere vitiato undequaque corpus ſubeunte contactu ſuo ſanguinem peſſumdari, partium mixtionem perverti, compagem diſſolvi. Porro ſi aliquis humor incongruens miſtioni ſanguinis ex primis viis influat in venas, eique immiſceatur, qua ratione Hecquetus oſtendet, ab eo ſanguinem exoticam fermentationem contrahere non poſ-

ſe,

ſe, ſive febrilem perturbationem partium abſque incitamento fortius oſcillantium ſolidorum ob uberiorem ſanguinem congeſtum? Videmus enim vinum, quod Plinius vocat ſanguinem terræ, ab ſolis extraneis infuſis in corruptricem fermentationem agi. Quid, Dii boni, venamur obſcura & incerta abſque logico inceſſu ſuppetentibus illuſtrioribus, & certioribus? Hæc ſane non peccant Methodici animum appellentes ad ſola præclara, artemque contrahentia: quibus ſi aliqua deficiunt, aliis tamen & maxime novitatum plus ſatis cupidis plura ſuperfluunt, eaque arbitraria artemque protrahentia, & obſcurantia: a quibus ſane abſtinerent, ſi didiciſſent a Scepticis de ſuis excogitatis dubitare, uti didicerunt Methodici, animadverſione Sexti Empirici, qui *Hypotheſ. Piroh. lib.* 1. *cap.* 4. facta comparatione ſectarum definite aſſerit, probatque nullam magis cum ea convenire, quam Methodicam. Ex difficilibus ambiguiſque alia magis, alia minus a noſtris ſenſibus, mentiſque captu diſtant, diſtantioraque otioſis Phyſicis relinquenda ſunt; in aliis verſetur Rationalis Medicus ſolidiore utens conjectura, eaque cautione, quam adhibet in ſuæ vitæ regimine. Nec enim ex ejus inſtituto eſt dumtaxat evidentia attendere, quæque ſub ſenſum cadunt, ſed etiam, ut cum Hippocrate dictum eſt, per ratiocinium deprehendenda, declinando tamen inanitates vagæ imaginationis.

Definitioni Medicinæ Themiſonis addidit Theſſalus per Methodum proxima tantum, & neceſſaria ſaluti cognoſcenda eſſe; in quam ſententiam videtur conceſſiſſe Sidenhamus in Præfatione, damnans Theoriam ductam a conamine laſcivientis phantaſiæ, nihilque commune habentem cum praxi. Et ſane Theſſali animadverſio ſobrie in-

Digitized by Google

intellecta documento eſſe poteſt Dogmaticis valde laborantibus de involutis obſcuriſque, iiſdemque inutilibus operi ineundo, neque cum utilibus ita coniunctis, ut illa ſine aliorum cognitione convenienter percipi nequeant. Sæpe namque ea cognitionum ſeries occurrit, ut licet aliquæ proximæ minime ſint operandæ ſaluti, tamen cum proximis conjunctionem habeant, propterea non omittendæ ab Profeſſoribus rationis. Si, ver. gr. curanda febris eſt, quam omnes Antiqui in fervore præter naturam collocarunt, plures etiam ex Recentioribus, Empiricus adminiſtrabit remedia a repetitis experimentis deprompta, Methodicus laxantia, arbitratus febres eſſe morbos adſtrictos, neque de alia re ſollicitus erit. Porro Rationalis aptum remedium inventurus inquiret, unde morbidus calor producatur, quæ cognitio proxima eſt curationi cauſſam removenti. Huic conjungitur altera pertinens ad modum, quo ſanguis præter naturam incaleſcit, iſtaque ab altera pendet definiente naturam caloris. Ut igitur Dogmaticus clarius poſſideat notitiam proximam curationi, noſcat oportet, unde naturaliter ſanguis incaleſcat, qualiſque ſit univerſe caloris natura; de qua docendus eſt a Philoſophia: atque iccirco tritum eſt in Scholis, ibi Medicum incipere, ubi deſinit Philoſophus, verum axioma, ſi conſideremus Medicinam tamquam diſtinctam ab univerſali contemplatione naturæ. Aberraret igitur Rationalis a penſo ſuo, ſuæque artis limites prætergrederetur, ſi vellet diſputare de caloris natura, deque aliis, quæ propius Philoſophum, quam Medicum attingunt; itemque aberraret, ſi vellet rem ſuam tractans poſthabere plana, & ſenſibilia, venari implicatiora, atque a ſenſibus remotiora.

Aliud

Digitized by Google

Aliud principium peculiare Methodicæ diſciplinæ eſt, debere curationes perfici ſimplicibus rebus, atque per ſanitatem conſuetis. Hæc ipſa, & ſola ratio medendi ipſi naturæ placuerat, uti notat gravitate Romana Plinius in Præfatione lib. 24., eaque conſiſtit in remediis vulgo paratis inventu facilibus, & ſine impendio, ex quibus vivimus. Poſtea fraudes hominum, & ingeniorum capturæ officinas invenere iſtas, in quibus ſua cuique venalis promittitur vita. Congruenter ad naturæ documentum monuit Hippocrates, medicamentum in alimento optimum eſſe, atque utendum conſuetis inculcavit idem Auctor ante Methodicos, & præſertim *lib. 2. de ration. victus acut.*. Preſſius tamen id præceptum obſervarunt Methodici diligentiſſimi in præparandis conſuetis rebus accommode ad fugandum morbum mutatione aeris, delectu cibi, potuſque, cubiculi & culcitræ jacentis, docendoque modum cubationis, aliorumque uſui vitæ utilium. Utinam vero hæc diligentia Methodicorum in prædictis adminiſtrandis ad noſtram ætatem perveniſſet, quæ omnium Medentium ſectis valde conveniens eſt, tantoque ægrotantibus conducibilior, quanto minus moleſta: atque ſi docet Hippocrates gratioſe cum ægrotis agendum eſſe, quo pacto gratioſius agere poſſumus, quam medicatione ex conſuetis deprompta?

Celeberrimi ex Methodicis Soranus, & Cælius Aurelianus ex conſecutione præmiſſorum principiorum decreverunt, uſum ſpecificorum rejiciendum eſſe. Et hercle ſi ſola evidentia amplectenda eſſe velint, & conſueta in remedium vertenda, ſequitur abdicanda ſpecifica, quippe nec evidentia, nec ex conſuetis plurimum accepta. Proprietatum, quæ ſpecificæ creduntur, probabiliorem noti-

Digitized by Google

notitiam ſolum congrua experimentorum copia comparare poteſt, ſi doctiſſimorum hominum extet judicium, ſemper in morbis vulgo decantatis eas profuiſſe; quo tamen caremus; atque ſi ſerio attendimus, quum in uſum vocantur, ſæpius effectus deſideratur, quam obtinetur: quin immo de obtento non raro dubitandum peritis remanet, unde obvenerit, utrum a viribus remedii, an ignota, & fortuita cauſſa, uti ſupra cum Valleſio adnotatum fuit. Sin quærimus ſpecificorum originem, nihil incertius his videbitur, nihil unde magis vanitas Medicinæ appareat. Qui primus ungulam Alcis ex Caprarum genere, uti ſcribit Cæſar in Comment. ſibi perſuaſit magna vi pollere adverſus morbum comitialem, unde, ſodes, id arripuit? Anne ex caſu tot rerum inventore? Anne ab aliqua conjectura ſuadente tentamentum ignotæ rei? Dicerem cum Plinio *lib. 7. Natural. hiſt. cap.* 4. admirante vim ſanguinis hircini in ſuperanda duritia adamantis contemptoris ferri igniſque, talem inventionem Numinum munus eſſe, ſi par eſſet exitus ſanguinis hircini Alciſque ungulæ; quem tamen valde diſparem experientia oſtendit. Narrat Levinus Lemnius *lib.* 2. *cap.* 3. de occultis naturæ miraculis, duas mulieres, alteram in veſtibulo ejus Ædium, alteram prope idem eo morbo deprehenſas jacenteſque ſtatim ungulæ contactu erectas fuiſſe; idemque narrat in Belgio complures eidem morbo obnoxios eſſe, adeo ut in compitis, atque triviis miſeranda ſpectacula hominum exhibeantur: at nullum produxit ægrotantem per ungulam a novis aggreſſionibus defenſum eſſe: quæ tamen, ſi vim habet præſentis affectus diſcutiendi, cur non habet arcendi, vel inge-

Digitized by Google

ſta, vel de collo geſtata? Quod de Alcis ungula dictum eſt, valet in cetera, quæ contra eamdem affectionem ſingulari virtute ornata prædicantur, effectu carent. Utinam tamen aliqua ſolo effectu carerent; profecto quædam etiam letalia fuerunt, referente Cælio Aureliano, ſanguinem tauri habitum pro egregio ſpecifico ad vincendam Epilepſiam bibitum a Themiſtocle mortem intuliſſe. Mitto ſpecifica in alios morbos evulgata: tantum aliqua attingam de Pleuritide morbo frequentiſſimo in eumdem commendata, raſuram dentis apri, cinerem, pulveremque priapi tauri, vel cervi, hircinum ſanguinem. Quid porro imaginationi inventoris obtruſit potius dentem apri quam lupi, aut tigridis, aut alterius animalis? Idem dicas de genitali belluarum. Ceteris autem antefertur ſanguis hircinus, de quo hæc ſcribit Helmontius de Sextuplici digeſtione. Sumtus drachmæ pondere confeſtim ſopit, & curat Pleuritidem, & numquam deſeret. In tractatu vero de Pleura furente narrat, ſe menſe Januarii invaſum eſſe febri cum levi rigore, dolore pungente in latere anteriore circa ſternum impediente reſpirationem, paullo poſt ſputum cruentum adfuiſſe, tandem merum cruorem prodiiſſe. Sumſit, ut ait, ſtatim cervi genitale carptum, dolorque ſtatim imminutus eſt: mox bibit drachmam hircini cruoris, & quatriduo ceſſavit ſputum ſanguineum, ſuperſtite tuſſicula rara cum aliquot exſcreationibus. Subdit tamen perſeveraſſe febrem, & ſecundo die expanſo dolore circa zonam in latere ſiniſtro, eam adauctam eſſe cum pulſu intermittente, atque Pleuritidem e coſtis abactam idoneis remediis, affixiſſe lienem. Enimvero hac mutatione morbi con-

Digitized by Google

conſecuta nihil inferri poteſt ex præmiſſis remediis, quod iſtorum dotem valide comprobet: neque vero alios eventus promit, unde quod contendit, appareat. Sanguinem quoque hircinum devolutis ab alto præbet ſpe fore, ut concretum contuſione ſanguinem diſpergat. Quo tamen reſpectu affićta eſt hircino ſanguini vis diſſolvendi concreta? An ſimilitudine adamantis, qui eo calido recentique perfuſus maceratusque redditur dividuus, nec invictus, ut antea, repetitis ictibus mallei? At quantum differt ſanguis recens calenſque ab exſiccato, & cum lentore ita durato, ut difficulter conteratur, qualis Pleuriticis porrigitur? Miror autem, quando tam leves conjecturæ ſufficiunt inſolitis experiundis, remotiſque a conſuetudine, in nullius Medentis imaginationem incidiſſe, eum recenter extractum calentemque porrigendi laborantibus lapide veſicæ, qui vidi durum, ſiccatumque aliquando hiſce ægrotis præſtitum fuiſſe. Verumtamen, quod attinet ad Pleuritidem, pro qua depellenda tam frequens eſt uſus hircini cruoris, Sydenhamus, qui affirmat ſe adlaboraſſe inveniendæ methodo curandæ Pleuritidis abſque iterato pluries ſanguinis impendio, adeo parvi pependit ſanguinem hircinum, ut ne verbum quidem illius fecerit pro curatione ejus affectionis; quicquid Helmontius, aliique complures oſtentent: quin immo in tractatu de Podagra vehementer dolet, fere in omnibus morbis vel ab inſcitia, vel pravitate Scriptorum, quos nugivendulos merito appellat, credulis ſpecifica obtrudi, & tamquam abſolutoria prædicari. Verum quis ſatis reprehendat inania, fraudolenta, perniciosa paſſim in Medicinam intruſa, poſtquam in artem Lucri

 deſci-

deſcivit, relicta Philoſophia, matre, ut ait Cicero *de clar. orat.* omnium bene factorum, & dictorum?

Ex habita conſideratione artis noſtræ inconſtantiæ, partæ vel ex deſiderio augendarum opum, vel oſtentandi ingenii, vel declinandi laboris in multiplici difficilique diverſarum rerum perſcrutatione, admonendi ſunt Juniores feſtinatæ conſecutioni Medicinæ, & feliciori praxi non parum obſtare ſollicitum ſtudium novarum opinionum in dies prodeuntium, quæ ſolum in dubiis obſcuriſque verſantur, & profectæ ab Auctoribus plerumque in dialecticis parum exercitatis mentem abducunt a recta cogitandi via a multis antiquis preſſa, rationi magis quam rebus novandis deditis; in quorum ſcriptis firmior doctrinæ nexus, & conſecutiones rationabilius deductæ leguntur. Reprobat Seneca *Epiſt.* 2. multiplicitatem librorum quippe diſtrahentem Lectoris animum; quam hercle diſtractionem non minus parit in eadem diſciplina multiplicitas, varietas, novitaſque opinationum, eo circo magis reprobanda, quod non neceſſaria verſat, alienat a neceſſariis, fruſtraque ingenium fatigat. Hiſce impedimentis injectis in noſtram facultatem ab Scriptoribus ex arbitrio quælibet imaginantibus, fidenterque emittentibus caruerunt Empirici, & Methodici, illi ſolam experientiam conquirentes, alteri ſola communia, & evidentia: quorum exemplo hodiernus Rationalis reformari poteſt, ſi ab Empiricis cultioribus mutuetur circumſpectum, & diligentiam in colligendis ſignis morborum, atque a Methodicis diſcat mentem intendere non quidem in ſola communia, & evidentia, quæ pauca ſunt, ſed clariora, artiſque fini firmiorem probabilitatem ſuppeditantia, a ſenſibus

& ſen-

& ſenſibilibus hauriendam. Quid vero ſit probabile, quotque ejus gradus, ex diverſitate ſectarum variæ ſententiæ manarunt; ex quibus mihi videtur Medico accommodatior Stoicorum, probabile eſſe, quod animum facile ciet ad aſſenſum. Quænam autem facilius cient, niſi quæ vel ſenſibus apparent, vel proxime ab iſtis derivantur? Quænam contra difficilius cient, niſi plura, quæ in Metaphyſica tractantur ab omni materia ſecreta totaque poſita in nexu ſpeculationum? Hinc difficultas eliciendi aſſenſus, hinc ſuſpenſus hæret animus non ex inſtituto Scepticorum, ſed rebus ipſis valde ambiguis, remotiſque a ſenſibus rerum fidis interpretibus, uti vocantur a Tullio, quorum ductu Medicus inter obſcura aliquanto clariora, inter dubia probabiliora amplectetur, declinabit vana excogitata, neque expoliendo ingenio, neque artis fini obtinendo conducibilia; in quæ profecto tanto facilius labimur, quanto longius ab ſenſu perceptis recedimus, ſequentes noſtræ mentis varios celereſque motus, arbitrandique poteſtatem; quæ, ut ait Tullius *lib. 1. de Nat. Deor.* quidvis poteſt cogitatione depingere.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

In Spicilegium Curationum Morborum.

Accidentia feſtinatum uſum corticis ſuadentia. Pag. 16
Accidentia graviditatem mentientia. 174. Eorum cauſſæ, 175
Alexipharmaca ſola directim opponuntur Epilepſiæ. 53
Alvo fluente in Puerperis ſolet eſſe parcior uteri expurgatio. 32
Alvi fluxus ſuperveniens Pleuritidi cum dolore deſcendente utilitas. 119.
Alvus ſoluta in Ictterico uſum communiter bili tributum infirmat. 157.
Aretæi rationabilis praxis ſanguinis mittendi in remiſſione Febris Pleuritidis. 119
Aretæi monitus de quantitate ſanguinis mittendi in Apoplexia. 65.

Bilis ex Aretæo generatur etiam in inteſtino colo. 157

Cantharidibus acceptis non ſemper urina cruentatur. 1,1
Cathartici fortioris effectus in melancholico. 57
Catharticum præſtitum Anhelæ febrem acutam excitavit. 103
Cauſſæ peculiares reddentes difficilem coalitum venæ ruptæ in Pulmonibus. 125
Cibi longa abſtinentia obſervabilis. 171.
Coma vigil natura ſua non offendit memoriam. 20
Complicatos morbos perarduum eſt ad certas ſpecies referre. 84
Conſuetudo pene totius medicationis præceptrix eſt. 151
Corticis uſus probatior poſt tertium circuitum tertianæ. 17

Delirii tres differentiæ exemplis explicantur. 24, 25
Deſperatio ſalutis ſignificata magna vacuatione ſupra, infraque ſine debito levamine. 96
Differentia inter Coma vigil, & Catalepſim. 20
Dyſenteria maxime uſu frequenti opii curata. 134
Dyſenteriæ, & Tenaſmi indicia clariora ſumuntur ab excretis. 135

Effectus emiſſionis ſanguinis in augmento febris cum dolore lateris. 113
Epilepſia pro Apoplexia habita. 51
Eryſipelate faciei hiberno tempore orto parcius ſanguis ducendus eſt. 199.
Eryſipelas faciei in femina ſola venæ ſectione ex brachio curatum. 14

Facies ſubito expalleſcens cum brevi vocis interceptione Epilepſiæ prolutit. 48
Febris quartana inter initia vomitorio curata. 58
Febris tertianæ intermittentis mutatæ in continuam cauſſa. 12

Fe-

Digitized by Google

Febricitanti Puerperæ cortex utiliter præſtitus eſt. 30
Febris acuta cum peticulis contra vulgarem morem curata. 36
Febribus curandis utilior eſt Medicus, qui minus operoſus. 163
Febris poſt decem & octo annos circiter extincta. 187, 188
Feminis ſæpe fruſtra brachium & talus vulnerantur. 63, 64
Fernelii ſententia de rudimento geniti lapidis veſicæ. 168

GRadi Medicus deceptus eſt in cognoſcenda prægnatione propriæ uxoris. 1, 6

HErpes miliaris cruris curatus occaſio Epilepſiæ. 52
Hippocrates colligit præſagium in Pleuritide ex urina. 97
Humoris fluxum in hanc, illamve partem efficientia. 76
Hydrops copioſis urinis, & ſudoribus reſolutus poſt menſem circiter renovatus. 81
Hydropum mixtura deterior eſt ſingulis diferentiis. 85
Hydropici curatio redarguit ſententiam Sydenhami de purgatione in Hydrope. 162

ICterici diſſecto cadavere multa notabilia apparuerunt. 149
Icterico data facultate bibendæ aquæ quantum vellet, & poſſet quid evenerit. 152
Imaginationis in Comate vigili effectus. 19
Imago falſa Pleuritidis ab Aetio deſcripta vena ſecta curanda non eſt. 94
Indicia plura ominoſa minus valent præſagio, quam reſpiratio, & pulſus. 23

LApis veſicæ interdum non impedit liberam minctionem. 166
Leipothimiæ levis ſæpius recurrentis cauſſa. 72
Lodovici Mercati cautio de cedenda vena ſuppreſſo ſanguine poſt partum. 180

MAlebrancii monitus de Medicis eligendis. 36
Medicatio morborum in ambiguo poſita dirigenda eſt ab clarioribus notis peccantis humoris. 68
Melancholiæ cauſſæ aſſignatæ ab Antiquis circuitus ſanguinis opponitur. 58
Melancholia recidiva mutatione aeris, & blandis amicorum colloquiis curata. 60
Morbus genitus in pectore poſt Eryſipelas faciei. 199
Mucus ſine arena poteſt eſſe indicium lapidis veſicæ. 167

NAturæ morborum medicatricis definitio. 164
Nicolai Pechlini ſententia de Icteria ſine jecoris obſtructione confirmatur. 151

OBſervationes probantes ſæpe inaniter in dolore colico inflammationem timeri. 145
Obſervata in diſſecto cadavere pueri laborantis lapide veſicæ. 167
Obſtetricum pervagatus error detegitur. 184
Occaſiones probabiliores venæ incidendæ in aſſultu comitiali. 53

Pe-

Pectoralis decoctio utilior in Pleuritide faciliori exſcreationi, quam linitus ex ſaccharo. 122
Petrus Gaſſendus fertur periiſſe ob repetitam venæ ſectionem. 59
Pleuritidis dolore deſcendente ad inferiores coſtas curatio. 26
Puerperis ſæpe ſanguis perperam effunditur. 31
Puerperio ſuppreſſo die octavo a partu, ortoque capitis dolore non eſt vena ſecta. 178
Punctio urticis facta profuit diſcutiendo comati. 6
Punctio femorum, & crurum in Hydrope ſecuto difficilem anhelitum extra omnem rationem eſt. 198.
Purgantis quantitas extraordinaria frequenter repetita. 187, 188

Rationes ſuadentes ſperandi ſalutem in Melancholico valde extenuato. 60
Reſpirandi difficultas orta ex pluribus cauſſis organicis. 71
Rheumatiſmi impetus ſolutus ſudoribus alvique fluxu. 43
Rheumatiſmi humor traductus ad partes internas. 45

Sanguinis Melancholici qualis color. 58
Sanguine poſt partum ſuppreſſo quæritur, quæ ſit utilitas venæ ſectionis in talo. 181
Seri caprini utilitas in Melancholico affectu. 56, itemque in Ictericia. 154
Seri ſcatentis ex crure Hydropici odor, & ſapor. 82

Tumor notabilis ventris & femorum poſtero die a purgatione deſinit, atque intra dies ſeptem renovatur. 187

Valleſii animadverſio de purgatione in dyſenteria. 136
Vibices ſanguinei coloris, lati atque per tergum extenſi in febri acuta. 22.
Urina magnum habens momentum ad fauſtum præſagium in Peripneumonia. 97
Urina in Icterico cruenta, nigra, denteſque. 148
Urina in Pleuritide nigra, craſſa, turbataque cum nigro ſedimento. 100.
Uterus non eſt fomes primarius tot morborum, quot ipſi tribuuntur. 74.
Utilitas purgationis factæ prægreſſo notabili murmure ventris. 117
Vulgus refert ad providentiam, quod eſt Medici imperitiæ, vel negligentia. 146

Digitized by Google

INDEX IN DISSERTATIONEM
DE INCONSTANTIA MEDICINÆ.

Aretæus facit cum Athenæo conditore ſectæ ſpiritalis. 208
Athenæus quintum elementum adſtruxit. 218
Auri eſuries & libido ducendi familias incitamenta rerum novandarum. 214, 215

Circuitus ſanguinis novitatum ſcaturigo. 213
Crinas Maſſilienſis induxit in Medicinam contemplationem Ephemeridis Mathematicæ. 208

Diatritarii Medici unde fuerint appellati. 207

Empirici quomodo nominis claritatem ſibi comparaverint. 225

Helmontii, atque Ettmulleri argumenta in veterem definitionem febris ſolvuntur. 232, 233
Hermannus Boerhaave vellicans Galenum refutatur. 209
Herophilus prognoſtico Hippocratis contradixit. 204

Febris cauſſa ab Alphonſo Borello, & Hecqueto aſſignata refellitur. 236, & ſeq.
Infelicitas Medicinæ expoſitæ populari judicio. 226
Judicaturo de curationibus morborum quæ ſint noſcenda. 227

Medicinæ addita ratio tulit argumentum rerum novandarum. 202
Medicina clinica ante Hippocratem extitit. 203
Medicinæ frequentiores mutationes Romæ eruperunt. 213
Medici ſenectus verius requiritur in Empiricis, quam reliquis. 215
Medici rationalis progreſſus ad inveniendum remedium. 139
Methodicorum ſecta nititur Phyſica Democriti. 218
Methodicorum placitis Hippocrates facem prætulit. 230
Methodicorum convenientia cum Scepticis. 238
Methodicorum diligentia in rebus conſuetis adminiſtrandis. 240

Paracelſi definitio corporis humani. 220
Paracelſus ex Chymia ſumſit occaſionem undique verſum multa innovandi. 210
Plinii animadverſio in Medicinæ inconſtantiam. 201
Proclivitatem ad errores parit receſſus a ſenſu perceptis. 245
Proſperi Alpini Methodicorum inanis defenſio. 228, & 229

Rationalium ſecta complectitur conſiderata ab Empiricis, & Methodicis. 223

San-

Sanguinis emiſſio opinione non ſcientia dirigitur. 216
Specificorum uſus maxime incertus. 241.
Studium novitatum citam Medicinæ conſecutionem retardat. 244
Themiſon Laodiceæ contraxit omnes morbos ad duo principalia genera. 206
Villiſii, Franciſci Bayle, Laurentii Bellini definitiones febris rejiciuntur. 233, & ſeq.

Finis Indicis.

ERRATORUM CORRECTIO.

Pag. 17	lin. 16	Ea	*lege*	Et
Pag. 30	lin. 7	cum	*lege*	cum
Pag. 38	lin. 9	obigeram	*lege*	abigerem
Pag. 44	lin. 16	accenſione	*lege*	acceſſione
Pag. 191	lin. 25	Eryſipelas in faciei	*lege*	Eryſipelas faciei.
Pag. 214	lin. 27	peculiare	*lege*	peculiares

Alia non difficile corriget benevolus Lector.

Digitized by Google

Alcuni Libri Medici ſtampati da Giambatiſta Conzatti Librajo, e Stampatore in Padova.

ARetæi Cappadocis, Opera Medica. in 8. L. 2.
Arculani Joan. de Febribus.in 4. L. 5.
Bellini. Exercitatio Anat. de Structura, & uſu Renum. in 12. L. 1 : 10.
Brini Thomæ, de Spiritibus Animalibus. in 4. L. 5.
Burnet, Opera Medica. in 4. L. 6.
Capilli, de Febribus. in 4. L. 1 : 10.
Fecherio, de Abortu. in 4. L. 2.
Fonſeca, in Aphoriſmi Hippocratis. in 4. L. 3.
Franco, Naturarum, & uſum Caſtronum. in 8. L. 2.
Georgii a Turre, Hiſtoria Plantarum. in f. L. 12.
Gockelius. Delitiæ Academicæ. in 4. L. 3.
—— Conſiliorum, & Obſerv. Medicinalium. in 8. L. 4.
Guglielmini Domenico, Rifleſſioni Filoſofiche dedotte dalle Figure de' Sali. in 4. L. 1 : 10.
Hiſtoriæ admirabilis Hiſtericæ Affectionis in Virgine &c. deſcripta ab Angelo Piſani. in 4. L. 1 : 10.
Jacobi Placentini, de Barometro. in 12. L. 1 : 10
Joan. Fortis, de Morbis Mulierum. in f. L. 3.
—— Conſulti Medici, cum Tractatu de Febribus, in f. L. 12.
Iſtoria dell'Epidemia de' Buoi, con l'eſame delle Cagioni, uſo de' Rimedj &c. in 8. L. 2.
Leali Leali, Hebdomada Febrilis. in 4. L. 5.
Liceius de Monſtris. in 4. fig. L. 18.
Ludovici a Ripa, Hiſtoriæ univerſalis Plantarum &c. in 4. L. 4.
Militia Dominico, De morbis exitialibus, Hiſtoria Medica. in 4. L. 2.
Morton Ricardus, Opera Medica. in 4. L. 7.
Patini, de Peſte. in 4. L. 2.
Petri Salii, Opera Medica. in f. L. 5.
Petri Morelli, Formula Remediorum. in 12. L. 1 : 10.
Piſonis Homoboni, Methodus medendi. in 4. L. 4.
—— De Regimine Magnorum Auxiliorum in Curationibus Morborum &c. in 4. L. 5.
—— Spicilegium Curationum Morborum &c. in 4. L. 4.
Prævotii Joannis, de Medicina Pauperum &c. in 12. L. 1 : 10.
Roberto, de Febre Tridente. in 4. L. 4.
Severino, de Vipera. in 4. fig. L. 8.
Scrokio, Oſſerv. Filoſ. Medic. in 4. L. 6.
—— Collegii Medici. in 4. L. 5.
—— Hiſtoria Moſchi. in 4. L. 5.
—— Pharmacopea Auguſtana. in 4. L. 12.
—— Hygea Auguſtana. in 4. L. 1 : 10.
Sennerti, Epitome Inſtit. Medic., & de Febribus. in 8. L. 3.
Sanctorii Sanctorii, de Statica Medicina &c. in 12. L. 1 : 5.
Trattato di Alviſe Dandolo ſopra la qualità, infermità, e rimedj del Cavallo. in 4. L. 1 : 10.
Veſlingii Joan. Syntagma Anathomica Commentario &c. in 4. fig. L. 10.
—— Tavole Anatomiche. in f. L. 3.
Veſchio, Oſſerv. Medica. in 4. L. 5.
—— Conſilia Med. Decad. X. in 4. L. 16.
—— Memoria Veſchiana. in 4. L. 3.
Zambeccari Giuſeppe, Breve Trattato de' Bagni di Piſa, e di Luca. in 4. L. 2

99 997424

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google